BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
XLIII
C
37
NAPOLI

CA NAZ.
manuele III
III
C
37
NAPOLI

C.
7.

BARTHOLOMAEI
Regij Todeſchini
OPVSCVLORVM
LIBER PRIMVS.

Ad Illuſtriß. & Excellentiß.

D. OCTAVIVM
FARNESIVM.

MEDIOLANI,

Apud Gratiadeum Feriolũ M.DC.XVII.

Superiorum permiſſu.

BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE III NAPOLI

IMPRIMATVR.

Fr. Aloyſius Bariola Auguſtinianus Conſultor S. Officij pro Reuerendiſſimo Inquiſitore.

Aloyſius Boſſius Canon. Ordinarius Theologus pro Illuſtriſſimo Cardinali Archiepiſcopo.

Vidit Saccus pro Excellentiſs. Senatu.

Illuſtriſſimo

ET EXCELLENTISSIMO PRINCIPI DOMINO OCTAVIO FARNESIO.

Iul. Cęſar Regius Todeſchinus I. C. P. D. P.

INSVLSA & inepta mihi illorum videtur eſſe ratio, Princeps ſapientiſſime, qui ſcripta ſua, ſi quæ in lucem proferunt, tam ambitioſe & iactanter venditant, vt principem virum quærant, cuius opera tuta ſint ab inuidorum iniuria. Scilicet egregij illi, a vulgo doctorum

ſepoſiti, placent ſibi, quemadmodum Æſopica ſimia de prole ſua. Non vident, quid, aut qua ratione dicant: cum odioſi & inepti ſint, inuidioſos ſe ſe arbitrantur. Inuidia enim diuitias, eruditionem & virtutem, res præclarè geſtas inſectatur: non item pauperta- tem, imperitiam, & quæ cum pluri- bus communia. Mea alia eſt ratio: placere tibi in animo erat, meoſq; erga te affectus pietatis & obſeruantiæ ple- nos aperire, atq; eorum apud omnes ho- mines argumentum relinquere: quod cum per ingenij imbecillitatem præſta- re me poſſe non viderem, ad perficien- dam hanc votorum meorum ſummam opuſcula paterna, hæreditario iure mi- hi obuenta, idonea ſunt viſa. Vni ti- bi præ multis congruere ſtatuebam, cu- ius excelſam ac prope diuinam virtu- tem, eruditionem vitæq; integritatem,

qui

qui conſiderat: Alexandri illius Magni aui tui, & Ranuccij patris ſupra mortalium gloriã poſiti, ad viuum expreſſam & efficłam in te videt imaginem. Non ſophiſmata atrienſia, non morum facies adulterina Germanus ex aula tua virtutes ſuſtulerunt: Vbi animus ratione præſtãs adamuſſim recta & exquiſita, omnia moderatur & regit. Vnus tu præſtas, vt ſomnia credantur finxiſſe, qui ab aulis principum exulare dicunt Mineruam. Hoc illud eſt, quod me, quamuis reuocaret ab audacia tua Celſitudinis expenſio, excitauit & quaſi ſtimulis egit, vt ea qualiacumq; ſint, ad te deferrem. Quæ ſi ea fueris dignatus animi clementia, qua cetera ſoles, beneuolentib. gratiis ſtudia paterna videbor auſpicatus. Vale & de te pendentis Regij Todeſchini memor diu felix viue.

BARTHOLOMÆI REGII
Todeſchini Opuſcula,

Quæ hoc libro primo continentur.

Quæſtiones Homericæ
Allegorię in Homeri Batrachomyomachiam.
Problemata varia
Dialogus de ſuperſtitioſa imitatione Tullianorum.
Comes facundus.

QVÆSTIONES HOMERICÆ,

Quibus indagatur, quomodo, & cur ita fabulatus ſit Homerus.

PROLEGOMENON.

INQVIRERE libet in Homerum, qui tabernarios imitatus inſtitores, aliud pollicitus, aliud videtur præſtitiſſe. Illi merces germanas, & probas proſcribunt: emtori imprudenti, qui notas non tenet exploratrices, quibus adulterinæ à germanis diſcernuntur, in tabernam intromiſſo fucatas pro integris, & probis obtrudunt: ſimiliter Homerus videtur feciſſe.

QVÆST. I.

ITaq; primùm quæritur, cum librum inſcripſerit Iliada, cur initio Muſam inuocet, more poëtico, vt iram Achillis explicare velit? Lectores titulum videntes, auidè librum arripiunt, euoluunt: bellum, excidiumq; Troianũ, vel quid ad Troianos pertinens inde cognituri. Verùm in veſtibulo vident iram portendi

Achillis. Quid Achillis ſtomacho, cum cauſſa, & origine belli Troiani? Non enim Achillis, ſed Menelai vxorem adulterauit, adulteratã Paris abduxit. Agamemnon autem fratris cõtumeliam, & dedecus vlciſci, lege iubetur naturæ. Hinc illa Græcorum coniuratio in Troianos. Plutarchus de Homero ſic ait: Poeta à nono demum anno orſus eſt: quód, quę Achillis irã anteceſſerunt, minus eſſent grandia, neq; vel longas, vel crebras actiones haberent.

An id fecerit Homerus, quemadmodum cõiectat Dion Chryſoſtomus, in oratione de Troia non capta, quod mendaces ferè omnes ſolent: qui, ne deprehendantur, ordinem inuertunt, nihil narrant gradatim: implicant, & quaſi inuoluunt rem totam. Qui autem vera narrant, vt vnumquodq; contigit primum, ita primum habet in narrationis ſerie locum. Hic ſtrenuus ad mentiendũ, noluit initium capere ab iniuria Alexandri, vnde ortum eſt bellũ. Hactenus Dion.

An verò, quod idem Dion ſuſpicatur, in gratiam Atridarum, confuderit omnia: atq; in honorem Achillis, de pertinaci eius irę, de calamitatibus Achiuorum, qui multa paſſi fuerint, quorumq; multi perierint, quibus ne ſupremus quidem ſepulturæ contigerit honos, incipere maluerit: quod hæc poeticę narrationi maximè conuenire exiſtimaret.

An

An potius, quod Franciſcus Portus Cretenſis ait. Poeta, qui non hiſtoriã ſcribit, ſed poema pangit à nono exorſus ſit anno: quòd eo anno plures maioreſq; res ſint geſtæ, & perpetua ſerie continuatæ. Præterea notandum, vnicam actionem, in qua, vt tradit Ariſtoteles, poema verſari debet, hic eſſe iram: reliqua ἐπεισόδια. Quãuis itaq; à nono ordiatur anno, pleraſq; tamen res inſerit, & magna ex parte ſuperiorum annorum memoriam repetit diuerſis locis. Ad hęc omne poema, quaſi ſolum, & fundamentum quoddam habet, quo nitatur, cauſſas: quibus ſublatis, ruat ac diſſoluatur neceſſe eſt. Homerus itaq; in hoc poemate, ſibi pernicioſam Achillis iram proponit canendam, quę clades, & funera multa attulit Græcis: Altercationem Achillis cum Agamemnone: Contemtum Chryſæ ſacerdotis & ex eo ortã Apollinis indignationem Hæc. Portus Cretenſis.

Euſtathius de ratione initij ad hunc modum: Homerus Iliada ab extremis belli Troiani tẽporibus, nempe à decimo anno inchoauit: non autem à toto, ſed à parte aliqua: hoc eſt, ab ira Achillis, quæ contigit illo anno. Id autem artificio quodam fecit: vt ſimul, & iucunda quadam, atq; inſperata nouitate, quaſi fercula peregrina apponens, inuſitato dicendi genere lectorem caperet. Naturam enim ſequi, & ab ijs incipere, quę naturę ordine prima ſunt, neq;

noui quidquam habet; & auditor id expectat, (quod vt plurimum fieri ſolet:) (id ſi faciat poeta, circa patulum orbem verſari creditur.) Et paullo poſt pergit Euſtathius, his verbis.

Incipiens ab ira Achillis, enarraturus eſt, quę mala, non ſolùm Græcis, ſcilicet his magis, ſed, vt credi par eſt, etiam Troianis euenerunt. Neſcio an huc pertineat etiam illud, quod Herodicus negat decem annos perpetuos Ilium à Græcis obſeſſum, neq; ibi Græcos tam diu manſiſſe: ſed ſub finem fatalis temporis capiendæ Troiæ eò profectos. Ait enim abſurdum videri, Grecos, cum didiciſſent è vaticinio Calchantis, decimo tandem anno futurum, vt vrbs ampliſsima caperetur, reliquis annis in otio deſidere voluiſſe. Ita rectè Homerus videatur ab Achillis ira ſumſiſſe initium: ſcilicet ab eo tempore, quo turbulenta Gręcis omnia ex ira illa.

QVÆST. II.

Eſto, quod ſit orditus ab ira Achillis: etiam hic quæritur, cur non alia voce ſit vſus quàm *μῆνιν*? Græci tripartitam faciunt iram: Ebullitionem illam ſanguinis circa cor, quæ excitatur deſiderio vindictæ, ob acceptam iniuriam, vocant *θυμὸν*: nos commodè

furo-

furorem dixerimus. Inueteratam, quæ occaſionem expectat vltionis, & tempus aucupatur, κότον: nos appoſito vocabulo, ſimultatem nominabimus. Quæ verò iam erumpere geſtit ὀργή, illis eſt: nobis impetus. Cur has voces neglexerit, & aliam his diuerſam vſurpare voluerit?

Ariſtoteles Eth. lib. 7. cap. 6. Cum iram miniſtris confert excurrentibus antequam rem totam ab hero audierint, θυμὸν appellat. Heſiodus, quod inter eiuſdem artis opifices eſt odium appellat κότον. Quod apparet ex eo verſu, qui eſt in libro, cui titulus, opera, & dies.

Καὶ κεραμεὺς κεραμεῖ κοτέει καὶ τέκτονι τέκτων, hoc eſt.

Et figulus figulo iraſcitur, & artifex artifici.

Plato in dialogo 2. de republica, ſeu de iuſto, vbi iram inexpugnabilem, atque inuictam eſſe ait, ἀμαχόν τε καὶ ἀνίκητον θυμὸν vocat eam.

Idem in Eutyphrone, ſeu de ſanctitate, cum dicit e diſſenſione inimicitias oriri atque iras: ἔχθραν ait, καὶ ὀργάς.

Quibus dictionibus, vel altera earum vti poterat Homerus, in diſsidio, & contentione Achillis, & Agamemnonis.

Plutarchus in commentario de virtute

morali, ſic ſcribit: In libris de diſſenſu, (hic non mihi conuenit cum interprete præpoſtero, quicunq; ſit ille, qui περὶ ἀνομολογίας vertit, de aſſenſu) Chryſippus, cum rem cæcam eſſe iram dixiſſet, ac plerumq; non permittat cernere, quæ ſunt manifeſta, tum etiam obſcurat quæ aſſecuti ſumus: paullum progreſſus, ſuccedentes enim, inquit, paſsiones extrudunt ratiocinationes, & quę aliter videntur, per violentiam protrudunt ad contrarias actiones. Ibi τυφλὸν ἐστιν ἡ ὀργὴ legitur.

Xenophon lib. 5. rerum Græcarum, vbi ira temerè omnia fieri dicit, ὀργὴν appellat ἀπρονόητον.

Ipſe Homerus Iliad. α. χόλον, ait, εἴπερ αὐτῆμαρ καταπέψῃ, ideſt, licet eodem die concoxerit iram.

Idē in Odyſſea, irā Neptuni χόλον nominat.

Fortaſſe, quod ſynonyma ſint, ideo vſus eſt dictione, μῆνιν, indifferenter.

Heſychius enim ſynonyma eſſe docet, μῆνις, ὀργὴ, χολὴ, κότος, ait, ἐπίμονος, hoc eſt, ira pertinax, & diuturna.

An quòd μῆνις ſit ira ad vetuſtatem repoſita: quemadmodū Ariſtophanis interpres in Ranis.

An quod Euſtathius ſcribit: μῆνις apud veteres ſit ira perſiſtens. Quidam autem, vt idem monet Euſtathius μῆνιν deducunt, παρὰ τὸ μὴ ἓν, id eſt; non vnum: quod, ſcilicet tollit vni-

tatem,

tatem, concordiam, litigantium animos diſtrahens atq; ſeiungens. Scire autem oportet, quattuor hæc nomina dici de hominibus ira concitatis, apud hunc poetam: θυμός, χόλος, μῆνις, κότος. E quibus θυμὸς & χόλος eadē ſunt: quemadmodum, quæ poſt Homerum plerumq; dicta eſt ὀργή. Et ſunt hæc tria ſynonyma, θυμός, χόλος, ὀργή apud Grammaticos. Hæc Euſtathius. Et ſubdit: Sunt etiam in principio motus, iracundiq; affectus iam incipientis nomina. Si autem affectus ille permanet, dicitur μῆνις παρὰ τὸ μένειν: hoc eſt à manendo.

QVÆSTIO III.

Videtur Homerus ignoraſſe, quæ ſit præcipua pars hominis, animane an corpus. Immò corpus exiſtimaſſe credendus eſt, partem potiorem: quod è verſibus colligere licet hiſce.

Πολλὰς δ' ἰφθίμους ψυχὰς Ἄϊδι προΐαψεν

Ἡρώων, αὐτοὺς δ' ἑλώρια τεῦχε κύνεσσιν

Οἰωνοῖσί τε πᾶσι. Hoc eſt.

Multas fortes animas Orco demiſit heroum: ipſos autem prædam fecit canibus, & volucribus omnibus.

In dictione αὐτούς. id eſt ipſos, ineſt emphaſis

quædam,

quædam, quâ maius quid ſignificari videtur, quàm ψυχάς, id eſt animas. Quaſi αὐτοὺς, ideſt ipſos, quiddã ſit totũ, ψυχάς, autem, id eſt, animas, pars eius. Porrò ſi tollis animam, corpus tantum reſtat: id ſignificari per αὐτοὺς ideſt, ipſos, nemini dubium eſſe debet. Cum autem forma hominis ſit anima, hoc eſt, præcipua pars, dictum oportuit: corpora canibus obiecit dilanianda: ipſos verò demiſit Orco. Anima enim neq; canum, neq; auium lacerationibus eſt obnoxia. Cur contrà fecerit Poeta, id iam quæritur.

Plato in Alcibiade, ſeu de natura hominis, Socratem introducit diſputantem hoc modo: Nonne toto corpore vtitur homo? Aliud ergo vtens, & quo vtitur. Homo ergo aliud eſt, à ſuo corpore. Deniq; colligit, animam imperare corpori, atq; illo vti. Hinc ridiculus videri poteſt Homerus, qui ordinem inuertit.

An huius rei ratio petenda ex Euſtathio, qui ita ſcribit: Homerus hic, αὐτὸς ponit in cadauere: (hoc eſt, cadauer intelligit, quod digito monſtrari poteſt) cum dicit, animas quidem herωum demiſit orco: ipſos verò canibus & volucribus prædam obiecit. Ipſos autem dicit, quæ poſt animam ibi manent, corpora heroum. Non quòd ſecundum aliquos,

Homerus, totum hominem in corpore poſuerit: (hoc eſt per corpus totum hominem intellexerit) ſed quòd re ſita ſe habet natura. Quidam interroganti, & aceruum mortuorum oſtendenti, quiſnam ex illis eſſet Patroclus, digito iacentem monſtrans reſpondit, ipſe eſt. Omninò ipſum, *αὐτὸς*, in mortui corpore, ſine contumelia dixit. Et nunc ipſum, *αὐτὸς*, conſiſtit in corpore, quod digito monſtrari poteſt. Hæc Euſtathius. Et paullò poſt; Quando autem de ſola anima dicitur, tunc ſecundum excellentiam quandam ponitur: vt propriè ipſius ſit hominis: cum anima ſit, per quam ſubſiſtit homo. Ex his Euſtathij verbis colligi poteſt, Homerum ſecundum ea locutum eſſe, quæ ſenſibus obuia, cerni tangiq; poſſent.

QVÆSTIO IV.

ANimas fortiſsimorum heroum detruſaq. Cælo ad Infernum: idq; Iouis conſilio. Etiam hic vnanimi omnium ſententiæ obloqui, neq; ſibi ipſi conſtare ſatis videtur. Priſcorum enim ſuperſtitio ſummum Deum finxit Iouem: cuius in tutela ſint virtutes, & virtutibus ornati: cuius etiam conſilio regantur omnia. Cum Heroes Deo, & terra matre nati, eorumq; animæ in aëre

habitare

habitare cũ Iunone dicantur: vnde & nomen ſortiti. ἥρα enim Iuno eſt: licet alij ἀπὸ τῆς ἀρετῆς, hoc eſt, à virtute dictos eſſe affirment. Vtcumq; ſit, aduerſus Solem, quod aiunt, meiere videtur Homerus, cum animas heroum ad Orcum demiſſas eſſe fabulatur.

Plato in Dialogo 2. de repub. inter alia ſic ſcribit: Bonorum quidem ſolus Deus eſt cauſſa dicendus: (Iouem hic intellige) malorum autem quamlibet aliam, præter Deum, cauſſam quærere decet. Néq; Homeri igitur, neq; alterius Poetæ accipiendum eſt peccatum, ſtultè de Dijs dicentis, in Iouis limine duo iacere dolia, plena ſortibus: bonis vnum, malis alterum. Et paullò poſt, in eodem dialogo: malorum autem alicui cauſſam eſſe ipſum Deum, cum bonus ſit, refellendum eſt omnino.

Ipſe Homerus in hymnis, Iouem deorum optimum appellat. Id ſi ita eſt, quomodo idem aliud ſtans, aliud ſedens affirmat? Quomodo ab eodem nunc perniciem, & interitum heroum ortum eſſe ſomniat, quem alibi optimum,& bonorum affirmat autorem?

Apud Herodotum in Thalia, Mæandrius aram ſtatuit Ioui liberatori, eidemq; fanum deſignauit.

Apud Sophoclem dicitur omnium parens

rens eſſe Iuppiter. Quod ſi parens, quomodo in mentem illi venire poteſt, vt qui & parens, & optimus ſit fortiſsimorum virorum corpora canibus, animas verò inferno deſtinandas cenſeat?

Apud Xenophontem lib.vij. in expeditione Cyri, Euclides ſuadet Xenophonti, vt Ioui, quem placabilem eſſe affirmat, rem faciat diuinam.

Plutarchus in oratione contra ſententiam Epicuri, ſic loquitur: non igitur ſimul ira Deus, & gratia tenetur: Ceterùm vt promereatur, & ſuccurrat, ingenitum eſt ei: vt indulgeat iræ, & affligat, id abhorret ab eius natura. Immò magnus ille in cœlo Iuppiter ad ſedes imas primus pergit, ad componenda, & procuranda omnia.

Athenæus de Laide iam ſeneſcente: Iaſonem primum narrant AEſonis filium, cum Argonautas congregaſſet, Ioui amico ſacrificaſſe, teſtumq; ipſum appellaſſe amicalia.

Fortaſſe hoc ſenſit Homerus, quòd non omnia hominibus conſilia perficit Iuppiter: quemadmodum inter Myrmidones loquitur Achilles, Patrocli lugens interitum.

Heſiodus initio ἔργων καὶ ἡμερῶν quærens, cur inter homines hic nobilis ſit, obſcurus ille: Iouis, ait, illa eſt voluntas: qui alterum facilè extollit: alterum deprimit. Contrà depreſ-

ſum

ſum extollit: elatum deprimit: clarum obſcurat: obſcurum illuſtrat. Sed huius rei cauſſam illis ipſis attribuit.

Apud Xenophontem lib. vij. in pędia Cyri: prælium, niſi accepta ab Ioue teſſera, inire voluit Cyrus.

An Homerus ad virtutem Gręcorum retulerit omnia: ne tantum tribueret Troianis, vt interitum tot Græcorum fortiſsimorum, illorum virtuti referret acceptum. Vel potius, vt temeritatis ſuſpicione liberaret Græcos, Iouis conſilio, hoc eſt, fato quodam Græcos interiſſe.

Euſtathius in hunc locum hæc ſcribit: Hic autem etiam defendit Achillem Homerus: cum dicit non ipſius cauſſa, ſed fatali quadam neceſsitate illa eueniſſe. Iouis enim conſilium fatum eſſe dicunt: vt, quod fato, idem etiam Iouis electione, & voluntate contigerit. Quemadmodum viſum etiam eſt Stoicis. Et ſubdit: Quidam autem Iouis conſilium interpretantur, Achillis honorem atq; reuerentiam.

Cambyſes apud Herodotum, in Thalia, lethali vulnere affectus, ita loquitur: neq; in hominis ſitum eſt natura, auertere quod euenturum eſt. Scilicet ſuperſtitione priſca, fatalem intelligit neceſsitatem.

An verò ad contumeliam referendũ, quam Apollinis Sacerdoti Chryſę, filiam ſuam repetenti, fecerat Agamemnon: qui vſq; adeò

eum contemtui habuerat, vt ne ſceptrum quidem, aut coronam Apollinis ipſi profuturam eſſe diceret, niſi è veſtigio diſcederet, numquam ad naues Græcorum rediturus. Vt ſcilicet pœnam luerent impietatis, vnius ob noxam, vt ait Maro: atq; illis vſu veniret, quod Horatius ep. lib. 1.

Quicquid delirant reges plectuntur
Achiui.

Quæſtio. V.

MVlos primùm inuaſit peſtilentia. Nempe calcibus infeſtis læſus Apollo, mulos vlciſci, & ab illis initium pœnarum ſumere: in illos iram euomere voluit.

Quid hoc monſtri? Etiam canes occidiſſe peſtilentia narrat.

Thucydides quid ſimile de canibus in hiſtoria ſcribit, vbi de peſte agit. Eos præ alijs ſenſiſſe morbum affirmat.

Lucretij verſus huc pertinent:

fida canum vis
Strata vijs animam ponebat in omnibus
ægram.
Extorquebat enim vitam vis morbida
membris.

Heraclides pontic⁹ in allegorijs hæc ſcribit:

Heraclides pontic⁹ in allegorijs hęc ſcribit: Non temerè iratus Apollo bruta animantia confeciſſe, neq; iracundiam ſuam in mulos, & canes exercuiſſe; ſed naturę rationem ſecutus eſſe dicitur ab Homero: quod vſu venire ſolet in peſtifera conſtitutione. Experientia enim medicorum ac Philoſophorum docet, à quadrupedibus incipere luem. Duæ ſunt cauſſę, quòd facilius hoc genere morbi quadrupedes corripiantur. Altera, quòd accuratam victus rationem non ſequuntur: hinc fit, vt cibis, & potu repleti, nulla ratione appetitum cohibenre, corrumpantur. Altera, quæ propius ad verum accedit: cum homines ſublimi reſpiratione aerem trahant puriſsimum, tardius afficiuntur. Reliqua animantia autem in terram prona, morboſos inde ſtatim hauriant vapores.

An, quod Euſtathius in ſuis commentarijs monet, non muli, ſed cuſtodes intelligendi ſint.

Ariſtoteles in poetica idem affirmat, cum non mulos, ſed cuſtodes ibi ſignificari ait, more priſco loquendi: Eoſdem etiam per translationem dici canes. Apparet id apud Ciceronem, in orat. pro ſexto Roſc. Amerino:

Vbi canes vel excubitores, vel exploratores, vel etiam quadruplatores intelligendos eſſe arbitror.

Quæſt.

Quæſtio VI.

CVr Apollinem ἑκηβόλον, id eſt, longè iaculantem dicat? Tùm νυκτὶ ἐοικώς, hoc eſt, nocti ſimilis, quid ſibi velit. Prętereà, quò pertineat illud:

ἔκλαγξαν δ'οἰςοὶ ἐπ' ὤμων:

Clangorem dederunt in humeris ſagittæ.

An per clangorem ſagittarum intelligendus ſit ille mugitus, in aere, cuius cauſſa ſiue ventus, ſiue exhalatio calida, & ſicca, contenta, & permiſta intra nubes, quæ nubem disrumpat. Cuius cauſſa ſol, quem per Apollinem intelligimus. Heraclides ponticus ait, philoſophicam quandam contemplationem innui clangore ſagittarum. Sunt enim, inquit, re vera cœleſtes quidam ſoni, cum harmonia concinni, qui à perpetuo motu concinnuntur: & maximè dum ſolis circuitus intentè perficitur.

Quòd verò nocti ſimilem dixit. Euſtathius hoc modo interpretatur: Tamquàm ſole, & tempore peſtis, nō purè ſuos emittente radios, neq; Phœbo.i.puro exiſtēte radijs: iuxta illud:

Solis phœbea flamma.

Quod dixit Æſchylus: ſed ob denſitatē aeris hebetem, obſcuram caliginoſam conſtitutionem habentis.

Et paullò poſt: Allegoria ſiquidē huiuſmodi

quædam in his intelligit, dicens: quòd Græcorum peſtilētiæ hiſtoria cauſſam prębet, ac materiam naturalem: nempe, vt veriſimile eſt, tabificam commutationem ambientis, ex putredine exhalata, quã Idæ locus emittebat, cauſſa Apollinis attrahentis, hoc eſt, ſolis. Addit pręterea: rhetorica vero auxeſi, nocti ſimilem dicit, propter horrendum, ac truculentum adſpectum.

Quòd autem idem Apollo ἑκηβόλος dicatur ab Homero, Macrobius exponit his verbis: Sagittarum autem nomine, non niſi radiorum iactus oſtenditur, qui tunc longiſsimi intelliguntur, quo tempore altiſsimus ſol, diebus lōgiſsimis, ſolſtitio æſtiuo conficit annuum curſum.

Vnde ἑκηβόλος dictus καὶ ἑκατηβόλος, ἑκαθεν τὰς ἀκτῖνας βάλλων: è longiſsimo, altiſsimoq; radios in terram vſq; demittens. Hęc Macrobius. Euſtathius hoc modo: Non perinde graues ſunt poetæ in fabulis, atq; Homerus, qui poſt ipſum ſcripſerunt.

Vbi enim venerandum Apollinem ἑκατηβελέτην .i. longè iaculantem dicit Homerus; fabulatur Simonides, ideò dici ab illo, quòd draconem in Pythijs centum ſagittis interfecerit Apollo: cum vno telo, vno iactu ſerpentem interemtum oportuiſſet. Non enim iaculatoris excellentia conſiſtit in eo, vt multorum iactib⁹

telorum

telorum tandem noceat. Non enim is ἑκατηβελέτης eſt: ſed qui lõgè iaculatur. Hoc enim proprium eſt iaculatoris. Adde his, qui eminus ferit, ac certæ deſtinationis eſt.

Propterea ipſe Apollo eſt ἑκάεργος .i. è longinquo operans: quòd procul arcere, & prohibere poteſt. Subdit mox: Si verò quis Apollinem dicere velit, ἑκατηβελέτην: vt ſit, ab ἑκατὸν .i. centum, & βέλων .i. telis: melius fuerit, dicere ab eo, quòd centum, ſcilicet, multa habeat tela, multas ſagitas. (Hac ratione per enallagen referatur ad radios innumerabiles). Hactenus Euſtathius.

Vbi autẽ ab Homero dicitur ἑκάεργος Apollo, ibi Heraclides ad hunc modum: ὁ τὰ ἕκαθεν ἐργαζόμενος, id eſt, qui vim ſuam exercet in res longè diſsitas. Hic autem ſol eſt, longè diſtans ab orbe noſtro, anni temporum ſupra terram opifex: tempeſtiuè ſupra tellurem radians, & hiemi æſtatem ęquali lance apponens.

Quæſtio VII.

CVr mare appellauerit Πολυφλοίσβιον .i. multiſonum, multum reſonans: neq; alio ſit vſus epitheto, quo maris procellis agitati ſonus exprimeretur.

Quaſi non ſint proprietates mari innumerabiles, vnde deduci epitheta poſsint.

Euſtathius in hunc locũ, φλοῖσβος, .i. ſuſurrus, ait, per onomatopœiam eſt ſonus aquę marinę, quadam exundatione ad littora reuertentis, & quaſi reciprocantis. Hinc mare dicitur Πολύφλοισβος, hoc eſt, multum murmuris edens. Mox definit Onomatopœiam his verbis: Onomatopœia eſt tropus poeticus, quæ corporum imitatur ſonitum. Hactenus Euſtathius. Adde huc, quòd non poterat commodius imitari poeta ſibilum, ſic dicam, illum, quem undę littoribus alliſæ reciprocantes reddunt. Ibi enim quidam quaſi ſigmatiſmus auditur.

Quæſtio VIII.

CVr Achilles ab eo dicat Ποδάρκης, & Πόδας ὠκύς, hoc eſt, pedibus velox: videtur potius referendum ad vecordiam, formidinem, & fugacitatem illorum, qui ſpem ſalutis in pedibus habent poſitam: qui fuga ſalutem quærunt.

An ab eo, quod Pindarus in Nemeis ſcribit: qui tanta eum fuiſſe velocitate ait, vt ſine opera canum, ac ſine retibus, ceruos curſu ſit aſſecutus.

An quòd à Chirone ceruorum medullis ſit nutritus, vt inde quaſi innatam habeat celeritatem.

Id Nazianzenus ſentire videtur, cum dicit, eum ſine cibo educatum: ipſum autem crudis

tantum

tantum ferarum viſceribus ſolitum eſſe paſci.

Euſtathius in com. de nominis etymologia, cum multa, tum hæc etiam adfert, ex illorum ſententia, qui vnico, λ, ſcribendũ, Achiles, contendunt. Ait autem à χιλός, quòd eſt pabulum, ſeu nutrimentum ex ſegetibus, &, a, particula priuatiua. Quorum tamen opinionem refellit, cum addit: non enim cereali fructu heroem hunc nutritum eſſe aiunt, ſed animalium medullis.

Xenophon in libro de venatione, vbi heroas à Chirone edoctos, & venandi arte præſtantes enumerat, inter alia hæc de Achille ait: Achilles in hac diſciplina educatus (medicina, & venatione) tam pulchra, & magna de ſe monumenta dedit, vt de illo nec dicendo, nec audiẽdo quis fatigari poſsit.

An verius ad robur, & ad fortitudinem bellatoris ſit referendum, quæ celeritate pedum, & corporis agilitate pręcipuè nititur.

Quæſtio IX.

CVr nouẽ dies ſagittæ Appollinis, per exercitum Græcorum graſſatæ ſint, non plures, neq; pauciores: decimo tantum die, Achiuos ad concionem vocauerit Achilles: cur cò vſq; diſtulerit concionem.

Euſtathius hunc locum explicans ait, Quemadmodum

admodum poeta in omnibus figmentis, veriſimilia, atq; probabilia dicit: talem etiam hic ſe ſe præſtat circa dies peſtilentiæ. Si enim continuò, vel primo, aut ſecundo, vel etiam tertio die quæſiſſet cauſſam, oratio non fuiſſet appoſita ad perſuadendum: nihil idoneum ad faciendam fidem fuiſſet in figmento: vel ſaltem probabile quidquam. Quid enim graue videns Achilles, quæſiturus eſſet cauſſam iræ Apollinis? Aut vnde coniectare inciperet, Apollinem peſtilentiæ præſidem Græcis infenſum, cum nihil tale eueniſſet adhuc, nihil præter opinionem hominum, quod vel admirationẽ, vel ſtuporẽ in animis hominum excitare poſſet? Poſtquàm verò iam nouem præterijſſent dies, ac tamdiu iratus fuiſſet Apollo; atque is morbus, quem ſecundum antiquorum opinionem, tot diebus ceſſare oportuiſſet, niſi diuinitus eſſet immiſſus, etiam longius progrederetur, tunc de cauſſa quæritur. Hactenus Euſtathius.

Heraclides ponticus etiam liberationem à morbo, non pari, ſed impari dierum numero contigiſſe notauit. Siquidem experientia ſingulatim collecta, notiſſimum eſt, impares dies corporum affectus indicare. Soluit autem morbum Acchilles: vt pote, cuius præceptor fuerit Chiron. Qui cum omni ſapientia clarus, tum arte medendi eximius fuit.

Quæ-

Quæſtio. X.

CVr potius Achilles ſollicitus cauſã peſtilẽtiæ quærit, non alius quis? nempe Agamemnō, aut Vlyſſes veterator ſagaciſsimus?

Euſtathius huic quæſtioni occurrit his verbis: Achilles ſciſcitatur cauſam, & non alius quis Græcorum.

Quia, vt Homerus ait, in mentem id ipſi iniecerat, albas vlnas habens Iuno: quæ de Græcis ſollicita ab Alexandro Troiano affecta erat iniuria: deniq; quòd Græcorum ſalutem, cum damno optabat Troianorum. Allegoria autem ſic habet: (Homerus enim plerumq; occultat cauſſas veras: idq; magis congruit poeſi) Achilles de cauſſa peſtilentiæ percontatur: vnde originem ducat, quærit: propterea, quòd eſſet medicus, medicina edoctus à Chirone centauro. Et ſubdit.

Videns (Achilles) aerem non eſſe purum, ſed morboſum: peſtem ab ira diuina immiſſam eſſe ſuſpicatur: primus cauſſam morbi ſenſit, vt medicus. Quòd autem ait, Iunonem Achilli immiſiſſe in mentem: vt, ſcilicet, cognoſceret, vnde morbi cauſſa: fabulam hoc innuere aiunt: Iuno aer eſt: Achilles autem ex aere morbi cauſſam colligit. Pręterea Achillem fingit Homerus eiuſmodi, qui & morbum

cogno-

cognoſcat, & ad concionem vocet populum. Vt probabile videatur, ipſum ſolum inuiſum eſſe Agamemnoni: qui, & primus quęrat, & ſolus loquatur. Eaq; de cauſſa Chryſeida priuauerit ipſum. Homo enim ira percitus non conſiderat iuſtum: ſed ſiue iuſtè, ſiue iniuſtè, pœna afficit damni autorem. Hæc Euſtathius. Accipe lucidiùs: Euſtathius ſenſit, Agamemnonem affectibus cedentem non vidiſſe, iurē ne, an iniuria ſibi depopoſcerit Achillis vxorē Briſeida.

Imaginem ſcilicet ponit ob oculos principis, qui rationem regendi neſciat.

Quæſtio XI.

CVm ſolus Agamemnon, neglecto Apolline, Chryſen eius ſacerdotem iniuria affeciſſet, ſolum pœnas luere par erat: Noxa enim caput ſequitur, vt aiunt: quicquid damni ex iniuria, in iniuriæ autorem recidat neceſſe eſt. At verò omnes Gręci malè accipiuntur ab Apolline, propter vnius Agamemnonis impietatem. Quid hoc ſibi commentum velit. An rectè Horatius.

Quicquid delirant reges, plectuntur
Achiui.

Quemadmodum in naui, vbi ob imperitiam ſedentis in puppi magiſtri, vel ſcopulis illiſa,

lifa,

liſa, vel vorticibus ſubmerſa naui, non ſolus rector nauis vitam amittit in vndis, ſed vectores omnes errore magiſtri ſubmerguntur.

Plato in dialogo ciuili, vel de regno inter alia dicentem inducit hoſpitem: Multę tamen nauium inſtar ſubmerſę perierunt (Ciuitates) pereunt, atq; peribunt, ob gubernatorum nautarumq; improbitatem, qui in rebus maximis extrema quadam ignorantia detinentur. Quoniam cum rerum ciuilium prorſus ignari ſint, in ijs tamen plurimum ſibi ſapere videntur.

Ariſtoteles libr. 3. de republ. Tyrannidem vocat principatum vnius: quòd id ſpectat, quod ipſi cõducit; qui ſolus dominatur. Adde, vel cum pernicie multorum, ſi animi impetum ſequitur. Apud Thucydidem Phormio Athenienſis, multos, ait, exercitus, per imperitiam à minoribus, quidam etiam per ignauiam eſſe profligatos.

Plutarchus in comment. an ſeni ſit tractanda res publica, ſic loquitur: Neque enim tantum habent in commodi actiones eorum, qui exacta ætate, ad ſuggeſtum, & tribunal pergũt: quantum boni per cautionem, & prudentiam. Quod non videantur falli, neque ex inani gloria inuolare in publicam procurationem, rapereque ſecum multitudinem, vt pelagus à ventis agitatum: ſed placidè vti, & moderatè rebus occurrentibus. Hinc Ciuitates,

cum titubauerint, vel conſternatæ ſint, grandiorum natu virorum deſiderant imperium: ac ſubinde ex agro acciunt alienum ab ambitione ſenem, atq; inuitum cogunt, vt in puppi ſedens in tutum rempub. collocet, ducibus repulſis clamoſis.

Heraclides ponticus in allegorijs ſuis Homerus, inquit, plurimum ſuper Apollinis ira, verborum inſumit: quod ſagittæ ſine cauſa emiſsæ, Græcos nihil tale meritos trucidauerint: & idcirco iniquam eſſe iracundiã numinis. Quoniam Agamemnon iniuriarum aduerſus Chryſen autor, non prę ceteris pœnam dederit, cum puniri deberet, ſi ipſe deliquiſſet. Nunc autem illos, qui acclamauerint,

Quin reuerere ſenem, quin ſplendida munera ſume,

propter iniquitatem Agamemnonis non perſuaſi, interire. Ceterum ego diligenter intuitus veritatem in carminibus latentem, non Apollinis hanc iram eſſe puto, ſed peſtilentiæ morbi calamitatem: quę, vt plerumque, ita tamen quoq; non diuinitus, ſed ſponte illapſa, perniciem attulerit. Nam, & hodie vitam humanam depaſcitur.

Que-

Quæſtio XII.

QVid ſibi velit νόῳ κλέπτειν: ideſt, mentē fallere, & occultare: Et quò pertineat hoc loco.

An quod Cicero ait, in oratione pro M. Marcello, ad latebras referendum ſit, àtq; receſsus, qui ſunt in animo hominis: hoc eſt, ad diſsimulationem. Hoc arbitror latere ſub commento, quo fingunt à Momo reprehenſum eſſe Vulcanum, corporis humani artificem: quòd in pectore hominis non feneſtras ſtatuiſſet paruulas: vel ſaltem oſtiolum, quo perſpici poſſet, ſi quid ibi lateret: cum alioqui ſpecioſum, multiſq; receſsibus ſinuoſum finxiſſet. In animis hominū ait Cicero: at verò pectus arguit Momus: ſententiam ſecutus illorum, qui cor aiunt eſſe promptuarium conſiliorum.

Euſtathius Homeri paraphraſtes hæc profert in hunc locum, κλέπτειν, id eſt occultatio, vel fraus: alia fit manibus, alia intellectu, vel ratiocinatione.

Poeta igitur Agamemnoni hæc verba affingit: Ne ita, ſtrenuus licet, atq; pręſtans ſis mente facias impoſturam: pro eo, quod eſt, ne falſis rationibus circumducere velis. In his autem verbis, quædam eſt, & laudis, & vitupera

tionis

tionis commiſtio: Laudis quidẽ in illis: excellens ſis licet: quomodo etiam illud: deo ſimilis.

Illa verò, ne mente fallas, habent neſcio quid acrimoniæ, ac vehementiæ.

Sciendum autem, tres eſſe modos, quibus de voluntate ſua, atq; inſtituto quis decedat, ac deijciatur. Vel enim perſuaſione, vel fallacia, vel violentia: ſiue enim perſuaſus, vel deceptus, quod ait poeta, vel pręterit, vel ſuperat: ſiue inuitus, quod eſt imperio ſubditum eſſe: quemadmodum hic Agamemnon inſurgit, nolle ſe quidquam pati ab Achille. Non enim, inquit, mihi anteuertes: Hoc eſt, non me ſuperabis mente fallens, id eſt, diſsimulans: neq; perſuadebis, neq; coges, vt reddam Chryſeida. Hactenus Euſtathius. Senſus verborum Agamemnonis eſt: ſiue aſtutè agas, non perficies, ſiue ad arma confugias, numquam mihi tantũ injjcies timorem, vt Chryſeida dimittam.

Quæſtio XIII.

CVr pectus Achillis hirſutum dixerit: neq; id temerè confictum eſſe, credendum.

Euſtathius: Quòd pectus Achillis hirſutum dixit, id vel ab eo, quòd denſi in eo pili fuerint, quales in multis, naturæ calidioris cernuntur: vbi etiam menſuram palmę excedunt pili. Vel

per

per metalepſim, intelligi vult prudentiam: ſcilicet, ab eo, quod ſequitur, id quod præceſsit, iudicans. Hirſutum enim illud denſum in multis, perſpicaciam notat. Quemadmodum enim pectus erat hirſutum, vel potius perſpicax, ita ſana & cordata ſuggerit conſilia. Et, quod Æſchylus ait, ex quo generoſa naſcuntur conſilia. Plura etiam huc pertinentia: quòd ſcilicet, in anatomia, piloſa inuenta ſint corda: vt Lyſandri, & canis Alexandri. Hactenus Euſtathius.

Quæſtio XIV.

NEq; illud temerè fictum eſſe credendum, quod Achilli gladium nudanti præſto fuit Minerua: quæ capillis retraxit apprehenſũ Heraclides Ponticus hæc refert: In his verſibus, ſtatim obuius verborum eſt ſenſus. Quòd Dea, interim, dum gladium euaginaret Achilles, omni velocitate celerior, cœleſti ſede relicta, cædem committi prohibuerit. Figura planè graphica, & ad viuum expreſſa, cæſariem Achillis à tergo tenaciter apprehendens: Verùm latet omnino ſplendida quædam, & philoſophica ſcientia, ſi allegoriam ſcruteris. Et ſanè hoc in loco rurſus apparet, quàm ingratus erga Homerum in ſua republica Plato ſit: cum hinc ſuam de anima opinionem mutuatus ſit. Vniuerſam

ſam enim animam in duas partes *diſtinxit*, rationalem, & rationis expertem, vt *ipſe vocat*: poſteriorem iterum bipartitò diuidit: alteram eius partem nominans cupidam, & alteram animoſam. Tum ſingulis ſua, veluti domicilia deſtinat, certaſq; in corpore ſedes diſtribuit. Rationalem igitur partem in ſuprema capitis regione, tamquàm in arce collocat: omnibus vndiq; ſenſuū organis, ceu ſatellitib⁹, munitam. Partis autem brutæ animoſitas quidem circa cor verſatur. Cupiditatum verò appetitus in iecinore. Hæc ille per allegoriā in Phędro, equis, & aurigę confert, his planè verbis euidenter vſus: Alter igitur ex ipſis melius conſtitutus eſt: ſpecie rectus, articulatus, alta ceruice, reſimus, albus adſpectu, oculis niger, honoris amans, cum temperantia, & verecundia, veræ glorię ſtudioſus, & nullis ſtimulis egens, ſolaq; hortatione & ratione regitur.

Hęc Plato de vna parte animæ. De altera vero ſic inquit: Alter obliquus eſt, impetuoſus, temerè fertur, robuſta ceruice, collo breui, ſima facie, colore nigro, glaucis oculis, & ſubcruentis, iniurię & arrogantiæ plenus, circa aures hirſutus, ſurdus, flagello ſimul, & ſtimulo vix cedens.

Ceterùm rationalem animę partem reliquarum aurigam fecit, ita inquiēs: Porrò de principe animæ noſtræ ſpecie ita eſt ſentiendum. Nempe

Nempe hanc Deus, vt dæmonem, noſtrum cuiq; tribuit: hanc in ſumma corporis arce ſedem habere dicimus, atq; ad cęli cognationem à terra nos tollere, tamquam animalia, cæleſti potius, quàm terrę ſemine nata. Hęc ſanè omnia ex Homericis carminibus, ceu fonte quodam, in ſuos dialogos Plato traduxit, Sed primum de brutis partibus conſiderandum eſt. Nam quòd iracundia, ſeu animoſitas circa cor ſita ſit, Vlyſſes apertè oſtendit, cum procis iratus, cor pulſat, ceu domicilium quoddam, in quo improbitatis odium habitaret.

Et pectus quatiens, animum reprehendit,
aitq; :
Hoc quoq; ſuſtineas: quondam grauiora
tuliſti.

Sic iſtam partem alloquitur, à qua fons animoſitatis ſcaturit. Quin etiam Tytium Iouis nuptiarum amore captum ea parte luere pœnam facit, quæ primùm de libidine cogitauerat.

Epar ei vultur mordens rodebat
vtrinq;.
Quamobrem Homere?
Auſus enim fuerat quondam cæleſtis
amores.
Sollicitare Iouis Lotonam.

Quemadmodum enim legiſlatores manus parricidis amputant, illā præcipuè partem muti-

lantes, quæ ſcelus commiſit: ita Homerus, eum cuius iecur deliquerat, iecinoris pœna afficit. De brutis igitur animæ partibus, hoc modo philoſophatus eſt. Reſtat inquirendum, in quo loco pars rationalis poſita ſit. Caput itaq; iuxta Homerum, maximè principem in corpore ſitum obtinet: vnde eius, tamquàm digniſsimi nomenclatura vniuerſum hominē appellat, per excellentiam reliqua ſimul innuens. Vt, cum dicit.

Tale caput cauſſa ipſorum tellure iacebat conditum.

Et manifeſtius de Neſtoris equo ſcribens potiſsimū hanc eſſe partē declarat his verbis.

Qua parte cerebri
Caprona pendent, & vulnus lethificum ſit.

Eamdem verò ſententiam ſub inuolucro cōfirmans, de Minerua hæc tradidit. Cum enim Achilles ira plenus ad ferrum rueret, obtenebrata ratione, quę in capite manet, ab iracūdia pectus obſidēte, ac indignante ebrietate mens ad meliorem ſtatum, & ſobrietatem paullatim ſe recipit. Coniuncta autem prudentiæ pœnitudo, iure in poeſi Minerua exiſtimatur. Propemodum enim eius nomē non aliunde, quàm ab intellectu formatum videtur: vt Minerua Gręcis Ἀθηνᾶ vocetur tamquam Ἀθρηνᾶ. Id eſt, contemplatrix, & nihil non puriſsimis rationibus

nibus perſpiciens. Quocirca, & virginem ipſam permanere voluerunt. Nam prudentię vis incorrupta perpetuò durat: nec vlla poteſt macula contaminari. Hactenus Heraclides, ab alio latinè redditus. Si iuſto plura videbuntur, cauſſa eſt, quod nolui mutilam & mancam afferre autoritatem. Idem Heraclides ſubdit: Nihil aliud Minerua eſt, quàm perfecta prudentia. Itaq; iracundiæ, quæ Achillem inflammauerat, veluti remedium ad extinguendum malum adſtitit.

Retrò Peliden traxit flauente capillo. Huc pertinet, quòd apud Xenophontem lib. 1. rerum Græcarum, Mindarus non, niſi ſacrificio prius Mineruæ facto, claſſem deducit in mare, opem laturus Dorico. Nempe ne quid inconſultò ac temerè moliretur.

Plato in Alcibiade, vel, de voto: Cum Alcibiades percontatus Socratem eſſet his verbis: quando erit, o Socrates, & quis præceptor? (Socrates enim dixerat, expectandum eſſe, donec diſceretur) iucundiſsimè enim hunc hominem, quisquis erit, agnoſcam: reſpondit Socrates hoc modo: Hic eſt cui tu curæ es. Verùm mihi videtur, quemadmodum Diomedi Mineruam, inquit Homerus, ab oculis nebulam abſtuliſſe, vt diſcerneret Deum ab homine, ſic & ab animo tuo prius oporteret caliginem, qua nunc offenditur, auferre.

Plutarchus in libro de Homero ſic ſcribit: Quomodo autem repugnent ſibi inuicem ea, quę contrariæ ſunt naturæ, id occultè indicauit poeta: (Homerum intelligit) vbi Deorum aduerſos ordines deſcribit: Græcis partim, partim Troianis auxiliantium, ſingulorum vim, ſub inuolucro, proponens. Ac Apollinem quidem Neptuno opponit, calidum & ſiccum, frigido humidoq;: Mineruam verò Marti, ratione præditum ei, quod rationis eſt expers: hoc eſt, bonum malo.

Apud Herodotum in Polymnia, Xerxes Mineruæ Iliadi mille boues immolauit. Quod ſimiliter eò referendum arbitror, ne quid temerè, ac tumultuaria opera aggrederentur.

Mitto ſuperſtitionem illam priſcam: quæ huc pertinere videntur, ea adſcribo.

Quæſtio XV.

QVid lateat in receſſu conuitiorum, quæ in Agamemnonem iactat Achilles. Vino grauis: hoc eſt ebrius, caninos oculos habens, cor verò ceruinum. An hæc etiam certo quodam iudicio Agamemnoni tribuerit: an ex animo profecta ſint, quem furor ita occupauerit, vt decorum cernere non potuerit.

Euſta-

Euſtathius in vno, eodemq; verſu, ait triplici contumelia Agamemnonem afficit Achilles. Cum per inciſionem, vel, vt Grammatici loquuntur, oratione commatis diſtincta, hæc profert: Vino grauis, canis oculos habens, cor verò cerui. Vino grauem appellat Agamemnonem, ac ebrioſus intelligitur, quòd ad vinum aliquando procliuis eſt inuentus. Viris enim fortibus vt probrum obijcitur vinolentia: non ſtrenuè pugnant, neq; generoſos ſeſe præſtant ebrij.

Plato in dialogo de republica, ebrium ait, animum gerere tyrannicum.

Plutarchus in quæſtionibus conuiuialibus, ſic loquitur: At verba temerè fundere, & obtueri ſtolidè, vel tacere, ea ex temulentia, & ebrietate oriuntur. Neq; virtuti ac militari diſciplinæ, ſed fortunę atq; populi vigilantię ferendum eſt acceptum, quòd apud Xenophontem, de rebus Græcorum Thraſidæus, qui ſeſe vino ingurgitauerat, auxilio populi, ſeditioſos aggreſſus ſuperauit & eiecit.

Athenæus ad alia conuitia pergit.

Athenęus libro decimo dipnoſoph. omnium malorum metropolim ſcribit eſſe ebrietatem.

Oppoſita ſunt, inquit, caninos oculos habere, cor verò cerui. Eſt autem antitheton, ſchema rhetoricum: quaſi dicat eum eſſe auda-

cem vt canem: timidum verò, vt ceruum. Addit prȩterea Euſtathius, quod eum appellauerit impudentem: atq; eum locum ad hunc modum interpretatur: Impudentem dixit, propterea quòd paullò ante, grauia quædam ac contumelioſa in Achillem effutire auſus eſſet. (ſz. inter ipſa pericula, vbi ſtrenui bellatoris opera prȩcipuè requiritur, fortiſsimũ heroem conuitijs inceſſere, impudentis eſt, ac ſtupidi imperatoris.) Impudentia etiam ad oculos referenda eſt caninos. Timidus dicitur ab Achille, quòd plerumq; ſuaſiſset fugam. Veteres aiunt Iſocratem hæc tria bona de Conone Athenienſium duce teſtificatum: diligentiam, fidem, & rei militaris peritiam. Colligens autem Achilles, quæ illis contraria, teſtatus eſt ea ineſse Agamemnoni: ſcilicet ex vinolentia negligentiam: ex impudentia perfidiam in populum: imperitiam rei militaris, ortam ex timiditate.

Quæſtio XVI.

ABſurdum videtur, quòd Iouem à Iunone, Neptuno, & Pallade vinctum aſserit in poëmate. Etiam hoc, quaſi paradoxon excutiendum eſt.

Heraclides Ponticus per allegoriã dici exiſtimat. Verba eius ſunt: Grauiſsimum hoc

Homeri

Homeri crimen fuerit,& modis omnibus damnandum: niſi fabulæ inuolucrum propoſuerit, vt in ſequentibus apparebit: quòd (vt Achillis ad Thetidem verba ſonant) Iouem omnium principem.

Cum ſuperi vellent duris conſtringere
vinculis.
Iuno, Neptunusq; ſimul, Pallaſque
Minerua,
Tum tu diua parens ſoluiſti è nexibus
ipſum,
Centimanum accerſens in cœlum, Dij
Briarea
Ægæona vocant homines.

Ex hiſce verſibus dignus videtur Homerus, qui non ſolum ex vna Platonis Republica abigatur,ſed vltra Herculis (quod aiunt) extremas columnas, & inuium Oceani mare. Summus enim Iuppiter tantum non experitur vincula: & inſidias ei moliuntur, non Titanes, neq; audacia Gigantum in Pallene monte, ſed ipſa Iuno, tum ſoror eius, tum coniux: & frater Neptunus æqualem cum eo mundi partem gubernans, nec indignatus contra nimium arrogantem ſibi Iouem, neq; metu motus, ne honore debito priuaretur: & cum his tertia, Minerua, per eaſdem inſidias, in patrem ſimul ac matrem impia. Verùm, vt opinor, multò abſurdior Ioui liberatio contigit, quam

inſidię. Nam Thetis & Briareus vinculis eum liberarunt. A talibus enim ſperare ſalutem, & huiuſmodi adiutoribus egere, indecorum eſt. Ceterùm ad excuſandam hanc impietatem, vnicum exiſtit remedium: ſi fabulam allegoricè confictam probauerimus. Nam primitiua, & antiquisſima omnium natura his carminibus ſanctè inſinuatur: & naturalium de elementis dogmatum vnus ac primus autor Homerus eſt: ſingulis, poſt ipſum, ſuæ cuiq; opinionis, quam ipſe inueniſſe exiſtimabatur, pręceptor. Thaletem enim Mileſium primum aiunt, rerum omnium, & mundi totius generationis primordium, aquam aſſeruiſſe. Etenim aquę natura, cum facilè in ſingula mutetur, varias formas induere ſolet. Nam pars eius euaporans, aër fit: cuius iterum tenuiſsima portio ſuccenſa, in ætherem abit: ſubſidens autem aqua, & in cœnum conuerſa, tellus euadit. Quapropter aquam, vt quę inter quatuor elementa maximè cauſſæ rationem haberet, elementi nomine prę ceteris dignatus eſt Thales. Sed quis huiuſce opinionis autor eſt? An non Homerus? qui dixit.

Oceanus cunctis, qui dat primordia rebus.

Hactenus Heraclides. Sed quia multa nimis altè repetita ſcribit in hunc locum: ne odioſis ambagibus fatigetur lector, ego carptim

ptim referam, quæ ad rem præſentem facere videbuntur. Reliquum eſt, inquit, poſt longam verborum ſeriem, vt diſpiciamus; an contra Iouem ſtructę inſidię, elementorum enumerationem contineant, naturalemq; ſpeculationem tractent. Itaq; Philoſophorum probatiſſimi quique de vniuerſi duratione in hoc conueniunt: nihil perturbandum fore, quamdiu concors harmonia quatuor elementa connectat, nullo alijs nimium pręualente: ſed ſuum ſingulis ordinem, quem ſortita ſunt, procurantibus. Si quod autem inter ipſa pręcelluerit, & per tyrannidem plus, quam par eſt, occupauerit, tum cetera confuſa potentiæ ſuperantis, & vim facientis conceſſura eſſe. Vt, ſi ignis quidem ſubitò efferbuerit, omnia ſimul peritura flammis: ſin aqua vniuerſim eruperit, mūdum diluuio interiturum. In iſtis verſibus igitur perturbationem quandam vniuerſitatis imminētem Homerus innuit. Nam Ioui potentiſſimæ naturę ab alijs elementis inſidiæ ſtruuntur: ſcilicet à Iunone aëre, & Neptuno aqua, & Minerua terra, quę rerum omnium opifex eſt. Sunt autem hęc elementa ſibi cognata, propter mutuā commixtionē: illis deinde propemodū perturbatis, & cōfuſis opem tulit prouidētia: quā bona ratione Thetin appellauit Homer. Eſt autem dicta Thetis, vt videtur, παρὰ τὴν θέσιν, id eſt, à diſpoſitione: ipſa .n. vniuerſa

conu-

commodè diſponit: & intra certos limites elementa coercet. Sociam verò habuit vim fortē: (Græci βριαρὰν dicunt) multiſq; manibus munitam. Res enim tantæ collapſæ, quomodo poſſent aliter, niſi magna violentia reſtitui? Sic igiť inexcusabile illud crimen de vinculis Ioui allatis, naturalem allegoriȩ ſpeculationem cõtinet. Hæc Heraclides.

Euſtathius in commentarijs ſuis Græcis ſic habet: Hic autem Achilles iucundam affert enarrationem, referens matri, quæ ab ipſa audierat. Ait enim, Sæpe ex te audiui in Megaris patris hæc dicentem. Quemadmodum in alijs apud poetas, humanis affectibus tangitur genus deorum; ita etiam circa regnum. Iuppiter enim cum ſit ſeuerus, habet inſurgentes alios in ipſum, qui tumultum excitant tyrannidem affectantes. Fabula igitur hoc habet: Iouem colligare volebant, Iuno, Neptunus, & Pallas Athena. Iuno quidem, ſecundum poetas, propter zelotypiam: quoniam cum ipſam gloria antecelleret, conubij leges violaret, multiſq; ſeſe mulieribus comiſceret. Neptunus autem litem de illis intendebat, quæ ad mare pertinent. Pallas, quòd ſe forma prȩſtantem, & ex ipſius capite genitam à Vulcano violari paſſus eſſet. Et deinde ſubdit: Abſurdum eſſe aiunt, Palladem filiam Ioui patri inſidiātem fingere: quam is affectu paterno tam vehementi proſequatur.

quatur. Allegoria autem per Iunonem quidem aërem hoc loco intelligit: per Neptunum elementum aquæ: per Mineruam terram: quæ Athena dicitur: quaſi ab ἀνθεῖν florere: & propterea aiunt, Mineruam dici ἐργάνην. Terræ enim proprium eſt operari, rem, & fortunas augere, victum ſuppeditare: Iouem autem ſuprapoſitum omnibus æthera: Thetin autem, quaſi θέσιν. id eſt, ſitum atq; ordinem vniuerſi: Briareum verò centimanum, ſolem, qui multis manibus potens operatur in inferiora. Et paullò, poſt: perſonis igitur, de quibus dictum eſt, per allegoriam ita acceptis, fabulæ myſterium ſic quodammodo, vt quam breuiſsimè, habet. Nihil prohibet, quin æther, Iupiter cum alijs elemētis in ſeditionem veniat, vt ſurſum deorſum ferantur omnia, & confuſionem quandam patiatur vniuerſum: niſi Thetis, hoc eſt, ordo ac diſpoſitio vniuerſi, ſecundum naturam, cogat ipſa elementa, manere in loco ſuo, per centimanum, hoc eſt, ſolem. Hactenus Euſtathius: & plura, quæ perſequi otioſum fuerit.

Quæſtio XVII.

PORrò id ſane ridiculum, quòd Ioui muliebrem eiulatum affingit, atq; impotētiam: qui Sarpedonem lugens queritur, quòd ipſum morti eripere crudeli non poſsit. Heraclides

Pon-

Ponticus ſic ait: Lachrymę ob Sarpedonis mortem effuſæ, non quidem triſtitiam Dei mentiuntur: quę vel inter homines vitio dantur: ſed ei, qui mentis aciem intenderit, occultæ veritatis rationem offerunt. Non rarò enim in magnis rerum mutationibus, prodigioſa ſigna apparuiſſe traduntur: vt fluuij & fontes aliquando ſanguine inquinati: quod in Aſopo, & Dirce quondam viſum eſſe antiqua fama perhibet. Quin etiam fertur, ex nubibus guttas diſtillaſſe, cruentis infectas maculis. Quoniam igitur immutatio pugnę ſubitam Barbaris fugam excitatura erat: & Sarpedonis fortiſſimi viri mors inſtabat, prodigia quædam calamitatem tantam prænuntiarunt, & ſanguineę guttę in terram fluxerunt. Iſtum itaq; imbrem cruentum, allegoricè lachrymas ætheris nuncupauit: non quidem à Ioue, qui luctu nullo afficitur: ſed supernè lacrymoſa pluuia effuſa. Hactenus Heraclides.

Quæſtio XVIII.

VT taceam deorum contentiones, & pugnas aliorum: cum alijs, ſciſcitari libet, cur non ſolùm Mineruam Marti oppoſuerit, ſed hunc etiam ab illa, hoc eſt virum, & quidem bellorum præſidem à muliere victum fingat.

Euſta-

Euſtathius, Athena,inquit,prudentia, ſcilicet, manu apprehenſum, qui Troianis opem ferebat, impetuoſum Martem, nempe ratione carentem audaciam educit è pugna: quaſi iam bruta temeritate extincta paulatim Troianis, ſimul etiam ipſa Athena recedit: propterea quòd Græcis qui ſanæ mentis erant, nondum eſſet opus conſilijs; neq; conſultationibus: Sed actionibus robuſtis ac virilibus.

Idem Euſtathius alibi ſic ſcribit: Minerua autem] Marti ſecundum naturalem quandam conſuetudinem opponitur. Quis enim neſcit Athenam, hoc eſt, naturam intellectualem ac rationalem audaciç rationis experti contrariam? Cum impudentia ſua inferior eſt moechus Mars: ſuperior autem virgo Athena: atq; hæc ipſa ſodalem, ac contubernalem brutæ audaciæ fęminam Venerem, manu pingue pectus eius tundens proſtrauit. Hęc Euſtathius.

Heraclides Pótic⁹: Minerua,& Mars mutuò contendunt: hoc eſt, prudentia, & ſtultitia. Atqui nullo pacto conciliari poteſt inimicitia rationis, optima quęq; diſcernentis, & cæcæ imprudentię. Ceterùm talem pugnę euentum diffiniuit, qualis vtiliſſimus erat humanę vitæ futurus. Non enim amens & attonita ſtoliditas prudentia ſuperior euaſit: ſed Minerua Martem deuicit, atq; in terram ſtrauit. Siquidē omnis malitia humi iacet in imis barathris

abie-

abiecta; vitium pedibus calcandum, omniq; contumeliæ obnoxium & ſubiectum eſt. Quin & Venerem, id eſt, intemperantiam, ſimul cum ipſo proſtrauit.

Quæſtio XIX.

CVr Iouem mendacem, & fraudulentum fingat, qui per ſomnium Agamemnoni pollicetur victoriam: vt ad pugnandum excitet, ac clade afficiat. Pręterea factioſum eumdem oſtendit, qui Achilli honorem, reliquis Achiuis exitiũ moliatur. Sic.n. ſcribit: Cogitabat animo, vt Achillem honoraret: multos autem Græcorum ad naues perderet. Et mox,

Nunc capies vrbem amplam.

Hic planè reum vanitatis facio illum Anaxarchum, de quo apud plutarchum: Eius enim ad Alexandrum hæc ſunt verba; An tu Alexander, veteres ſapientes ignoras, ideo aſsidentem Ioui iuſtitiam feciſſe, vt quicquid ab Ioue decretum, ſancitumq; foret, id iure factum videretur? Hæc, ſcilicet illa iuſtitia Iouis quæ vno ſeruato, ceteris omnibus capitis creare periculum, atq; funditus euertere, pulchrum putat.

An propterea id fictum à poeta, vt affectus humanos tribuat Ioui, qui pater Apollinis, iniuriam filio illatam concoquere, & ferre

non poſsit. An verò ad illud reſpexerit: Qui maximè ſepientia, & bonitate excellere creduntur, illi ipſi in articulo rei gerendę ceſpitant: ibi fluctuant animis, incerti conſilijs, vbi in cardine periculum: vbi ſapientia, & bonitate opus eſt. Tunc demùm alios ſeſe præſtant, atq; haberi exiſtimariq; voluerunt. An verò ad ſuperſtitioſam ſomniorum interpretationem: vel potius ad temeritatem illorum ſit referendum, qui antequam rem ſint aggreſsi, certum ſibi, & optatum pollicentur euentum.

Plato in Dialogo 2. de Repub. ſeu de iuſto: At nullus ſtultorum, & inſanorum Deo amicus eſt. Et mox: Multa igitur ab Homero dicta laudantes, ſomnium ab Ioue miſſum Agamemnoni non laudabimus. In fine dialogi ita concludit: Talia quædam, quoties de Dijs dicentur, protinus reclamabimus, & exſibilabimus.

Euſtathius: Poeta, ait, his verſibus ſemetipſum figmenti autorem facit, de ſomnio, quo decipitur Agamemnon. Iouem autem vocat ſuam ipſius mentem. Nunc, autem dictionem, apud antiquos, tria tempora ſignificare, id ſciendum eſt: præſens, præteritum, & futurum. Cum autem dicit nuncius in ſomnis, nunc Troia capietur, intelligi vult, hoc anno, ſcilicet decimo. Id perperam interpretatus Agamemnon, eo ipſo die ſe Troia potiturum

eſſe

eſſe credidit. Somnium enim ingenioſè fictum eſt, quaſi oraculum, quo obliquè ſignificatur, & tegitur veritas.

Macrobius lib. 1. de Somnio Scipionis hæc ſcribit: Diuulgatis etiam docemur exemplis, quàm plenè ſemper cum prædicuntur futura, ita dubijs obſerantur; vt tñ diligens ſcrutator, niſi diuinitus (vt diximus) impediatur, ſubeſſe reperiat apprehendendæ veſtigia veritatis, Vt ecce Homericum ſomnium à Ioue, vt dicitur, miſſum, ad conferendam futuro die cum hoſtibus manum, ſub aperta promiſſione victoriæ, ſpem regis animauit. Ille velut diuinum ſecutus oraculum, commiſſo prælio, amiſſis ſuorum plurimis, vix ægreq; in caſtra remeauit. Num dicendum eſt, Deum mandaſſe mendacium? Non ita eſt. Sed quia illum caſum Græcis fata decreuerant, latuit in verbis ſomnij, quod animaduerſum, vel ad verè vincendum, vel ad cauẽdum ſaltem potuiſſet inſtruere. Habuit enim præceptio, vt vniuerſus produceretur exercitus. At ille ſola pugnandi hortatione contentus, non vidit, quid de producenda vniuerſitate præceptum ſit; prætermiſſoq; Achille, qui tunc recenti laceſſitus iniuria, ab armis cum ſuo milite feriabatur, rex progreſſus in prælium, & caſum, qui debebatur, excepit; & abſoluit ſomnium inuidia mẽtiendi non omnia de imperatis ſequendo. Hactenus Macrobius.

Quæſt.

Quæſtio XX.

QVid eo commento ſibi velit Homerus, quo Helenã Alexandro, arte atq; opera Veneris, illegitimè conciliatam fingit.

Heraclides ponticus hanc quæſtionẽ ita ſoluit, vt dicat, Venerẽ Græcis dici ἀφροδίτην: quæ dictio, tribus litteris mutatis, ἀφροσύνην, hoc eſt, ſtultitiam ſonat: quæ in affectibus amatorijs principatum tenet; ea ſemper conciliare, & adminiſtrare ſolet iuuenile deſiderium. Eadẽ & locũ inuenit idoneum, in quo Helenæ thronũ collocaret, & varijs lenocinijs vtriuſq; cupiditatẽ incitat. Alexãdro quidẽ adhuc amatoriè affecto: Helena verò pœnitentia duci incipiente. Quãobrẽ, cum ab initio cõtradixiſſet, tandẽ cedit, inter duos affectus diſtracta: amorem inquã, in Alexandrũ, & reuerentiã erga maritũ.

Lactãti⁹ amorẽ Deã ideò fingi credit, ꝙ lena fuerit, quę artẽ meretriciã prima inſtituerit.

Alij per Venerẽ intelligi volũt illã voluptatẽ, quã animus è ſimiliũ coniunctione futuram præſentit: quare credita eſt Dea animorũ conciliandorũ. Dicitur riſus amica: quia per lætitiam conciliatur amor.

Euſtathius ait, Venerem dici ἀφροδίτην quaſi ἄρχουσαν ἀφροσύνης, hoc eſt, ducem, autorem, & cauſſam ſtultitiæ ac dementiæ.

Quæſtio XXI.

TEmerè ne, an certo iudicio finxerit nouem præcones, qui turbam ſedarent in concione excitatam.

Euſtathij interpretis verba in hũc locum ita ſonant. Poeta erga nouenarium numerum quodammodo videtur affectus. Præter alias enim rationes, quas afferunt antiqui: quòd ſcilicet quadratus ſit, ac perfectus, è perfectione ternarij multiplicati in ſeipſum: etiam propter Muſas, quæ hoc numero comprehenduntur. Antiqui autem ἐννεάδα, hoc eſt nouenarium, tamquàm imparitate præſtantem commendant, diuiſum in tres ternarios, quorum quilibet rurſ' tres monadas ſeu vnitates continet. Pronus ita valde eſt ad hunc numerum pœta. Propterea hic etiam nouem ait eſſe præcones. Mox ſubdit. Quidam verò conantur hunc nouenarium præconum hiſtoricè reddere. Deinde enumerat omnes.

Quæſtio. XXII.

QVorſum Homerus induxerit Therſiten informem, & loquacem.

An, quod Plutarchus innuere videtur, in cõmenta-

mantario de Poetis audiendis, vt oſtenderet Poeta, ſæpè vſu venire, vt in multitudine confuſa, improbi cernantur, audaces, ac temerarij, qui ore perfricto obturbent, garriant, quę nihil ad rem faciant, vel planè ſint obfutura, quæ in cõſultatione poſita, ſi nugis illorum pateant aures.

Euſtathius id hoc modo interpretatur: Poeta inquit, docere volens, nihil eſſe noui, neq; admiratione dignum, ſi in excellentium virorum multitudine inueniantur aliqui improbi, diſſoluti, omni correctione ſuperiores: quemdam fingit Therſiten, idq; per digresſionem hominem intempeſtiuè loquacem, conuiciatorem, nugatorem odiosè garrulum: qui garriendi libertate præter decorum abutens, optimis quibuſq; æquiparare ſe non vereatur. Qui ceteris Græcis, iuxta præceptum Vlysſis ſedentibus, ac tacentibus, ſolus ſit auſus garrire. Eſt autem Therſites eiuſmodi, qualem ipſum indicat nomen: nempe audacter impudens, impudenter temerarius. Therſites enim dicitur à θέρσω, futuro Aeol. verbi θέρω, id eſt calefacio. Hactenus Euſtathius. Adde huc: ex etymologia Therſitæ nominis erui poteſt hic ſenſus: vt intelligas hominem temerarium, qui calore quodam, hoc eſt, inconſulto animi impetu præceps feratur, quò vocent affectus, ſine ratione.

Quæſtio XXIII.

DE Eride contentionum Dea, quæ initio parua eo vſq; creſcit, vt Cœlum vertice attingat, facilem eſſe coniecturam inquit Heraclides. Quippe quòd leui de cauſa orta contentio, plerumq; in maximos clamores, magnamq; litigantium calamitatem excreſcat. Ceterum id nõ per oſcitantiam prętereundum cenſet, quòd Deos introduxerit ſaucios. Venerem enim atq; Martem à Diomede vulneratum eſſe ait.

Huic quęſtioni, ac quodammodo paradoxo, hanc affert expoſitionem.

Nos; inquit, ſigillatim rationem reddemus, à philoſophia minime alienam. Nam Diomedes cum ſocia Minerua, hoc eſt, prudentia, Venerem, (quam poeta ἀφροδίτην Græcè, quaſi ἀφροσύνην, id eſt, ſtultitiã vocat) ſauciauit. Non quidem Deam aliquam, ſed pugnantium barbarorum imprudentiam. Etenim ipſe, vt per omnem diſciplinam militarem verſatus, & partim in Troia, toto decennio prudenter pugnis pręfectus, facilè perſequitur barbaros. Illi verò ſenſu & ratione minimè pollentes, ab ipſo fugantur: tamquàm.

Diuitis in ſtabulo pecudes viri.

Multis igitur vulneratis, Homerus allegoricè

ticè barbaram imprudentiam à Diomede ſauciatam introduxit. Hæc Heraclides.

Mihi Diomedes ſonat, Iouis conſilium. Hinc iam tibi reliqua colligere licet, ſi qua in te mica ſalis.

Heraclides pergit in allegorijs: ſimiliter inquit, & Mars, ἄρης, Græcè dictus, non aliud eſt quàm bellum: Παρὰ τὴν ἄρην, id eſt, à malo, & damno, denominatus. (Alias huc nominis rationes adſcribere piget.) Manifeſtum autem hoc fit ex eo, quòd ipſum appellat.

Inſanum, præſensq; malum, nunc partibus illis,
Nunc alijs ſocium.

Et poſt paullò: Vulneratus eſt autem à Diomede Mars, non alia parte, quàm extremum in ventrem: atque id probabiliter. Quoniam ἐπὶ τὰ κενὰ, hoc eſt, partem aciei hoſtium inanem, nec admodū munitā aggreſſus, facilè in fugā coniecit barbaros. Æneum vero Martem vocat, panoplias militum ſignificans. Erat enim rarus olim vſus ferri: ſed vniuerſum corpus ære tegebant. Id alijs ſocium.

Cæcabatq; oculos galearum ſplendor ab ære.
Thoracumq; politorum nuper

Exclamat autem Mars vulneratus:

Quantum ſiue nouena virum, ſeu millia clamant
Dena ſimul.

Et hoc etiam ſignum eſt plurium in fugam conuerſorum hoſtium. Non enim vnus Deus

tantoperè clamaſſet: ſed quæ fugiebat innumera barbarorum phalanx. Iam igitur euidentibus argumentis, & ſingulatim monſtrauimus, non Martem à Diomede vulneratum, ſed ipſum bellum.

Quæſtio XXIV.

QVomodo cohæreant illa, quòd Therſiten ait inimicisſimum Achilli & Vlyſsi: Et mox eundem inducit fortitudinem Achillis prędicantem. Hæc planè pugnantia videntur.

An eò referendum ſit, quòd vecordes & imbelles, quos oderunt, metuunt, & quos metuũt, ijs præſentibus blandiri, laudes eorum canere in ora ſolent: abſentibus inſidias ſtruere numquàm ceſſant.

Euſtathius hæc refert: Dicit autem maximè eum Vlyſsi & Achilli infenſum: iuxta prouerbium enim ſapiens ſapientem quęrit: ſtultus amat ſtultum. Hoc autem indicio eſt, eũ eſſe peſsimum: qui enim optimis inimicus eſt, ille neceſſariò peſsimus. Addit præterea Therſiten hęc protuliſſe de induſtria, vt riſum captaret: Achilli & Vlyſsi contemptui, ac deinde verberibus cęſum fuiſſe.

Quæſtio XXV.

De laboribus Herculis, quid ſentiat Heraclides, adſcribere libet. Spero enim hāc lectionem ſimul, & voluptati & vſui fore, ſi quis non hebes acceſſerit.

Heraclides hęc affert: Ceterùm, inquit, de Hercule, non exiſtimandum aliqua corporis facultate prēditum, priſcis temporibus tantum efficere voluiſſe. Sed vir prudens, & initiatus ſapientia cœleſti, ceu profunda caligine ſubmerſam philoſophiam illuſtrauit: quod & Stoicorum præcipui fatentur. De reliquis igitur certaminibus eius, ab Homero non memoratis, quid attinet ad oſtentandum ingenium, multa, prēter propoſitum, verba facere? Cepit aprum: hoc eſt, verſantem inter homines intemperantiam: & leonem domuit: videlicet impetum temerè, quò non decet, ruentem. Eadem ratione, cum brutam iracundiam coercuiſſet, cornupetam taurum conſtrinxiſſe exiſtimatus eſt. Timiditatem quoq; ex vita abegit: quod per Ceruniam ceruam innuitur. Et certamen quoddam indecens nominatu ſubiuit, repurgata, qua prius laborabat, fœditate. Superauit, & volucres: nempe ventoſam ſpem, quæ vitā hominū ſubinde nutrit. Et fimū plurimū egeſsit: & multis capitibus prēditam hydram

ſuperauit: quæ abſciſſa, rurſus incipit ſubnaſci: hanc, veluti, ἀϊδρείαν id eſt, imperitiam quandam per ignem, videlicet, per admonitionem excidit. Quinetiam Cerberus triceps in ſolem productus, non ineptè tripartitam philoſophiã innuit. Sunt .n. philoſophiæ partes, rationalis, naturalis, moralis: quæ tãquam ex vna ceruice prognatæ, tripliciter deinde iuxta caput diuiduntur. Verùm de ceteris quidem certaminibus hæc breuiter dicta ſufficiunt. Iunonem verò ab Hercule vulneratam meminit Homerus: hoc planè nos docere volens, quod aërem turbulentum, & ſingulorum mentes ſua caligine offuſcantem, primus Hercules diuina ratione vſus diſcuſsit: vniuſcuiuſq; hominis ignorantiam multis admonitionib. vulnerans. Quocirca ex terra in cœlum ſagittas emittit. Quiuis enim ſapientiæ ſtudioſus, in mortali ac terreno corpore, mentem inſtar ſagittæ elatam ad ſublimia dirigit. Artificioſè autem hæc verba adiacent:

Trigemino feriens telo.

Vt breuiter omnem philoſophiam in tres partes diſtinctam, per triquetrum telum denotaret. Poſtridie autem Plutonem quoq; iaculatus eſt. Nullus enim locus inuius eſt philoſophiæ. Sed poſt cœlum inueſtigauit infimam naturam, vt ima quoq; cognoſceret. Itaq; obſcurum & cunctis hominibus inuium orcum

ſapientię telum prudenter emiſſum perſpicuè diſcreuit. Puræ ſunt igitur Herculeę manus, omnis aduerſum Deos ſceleris: & Homerus omnis ſapientiæ princeps, allegoricè poſteris ſingulatim haurienda reliquit omnia, quæ primus ipſe philoſophatus eſt. Hęc Heraclides.

Apud Plutarchum Argiuus Nicoſtratus negauit eum, a quo ſollicitabatur ad res parum honeſtas, ſobolem Herculis eſſe. Illum enim multas oras, vt ſceleroſos ſuſtolleret, luſtraſſe: hunc probos facere improbos.

Ariſtoteles libro tertio de republica, Herculem, ait, ab Argonautis in curſu relictum, ſcilicet, inuidiæ cauſſa: quòd illorum virtutem longo interuallo ſuperaret. Idem aſſerit etiā Herodotus in Polymnia.

Apud Platonem in Euthydemo, ſeu litigioſo, Socrates Dionyſodoro reſpondens ait: Cur non duos fugiam? Hercule quidem multò ſum imbecillior, qui pugnare ſimul non valuit aduerſus hydram ſophiſticam: cui propter ſapientiam, pro vno ſermonis capite amputato, multa repullulabant.

Apud Xenophontem lib. 2. de factis, & dictis Socratis, Prodicus virtutis admonitionem ad Herculem exponit.

Quæſt.

Quaeſt. XXVI.

QVid lateat ſub commento illo, quo Bacchum modo furentem, modò tremulum, modò à Lycurgo in fugam verſum, & à Thetide ſeruatum fingit. Heraclides allegoriam ad agricolas pertinere ait, ac de vindemijs ibi agi. Verſus ex Homero latinè redditos adſcribit hoſce.

Qui quondam Bacchi nutrices mente furentes.
Per montem pepulit Nyſeion, at hæ ſimul omnes
In terram thyrſos iaciebant: quippe Lycurgus
Crudelis miſeras ictu cruciando flagelli
Inſtabat: metuens autem ſibi Bacchus, in vndas.
Se maris immerſit: timidum Thetis alma recepit
Diffuſo gremio.

Dionyſium furentem nominans, vinum intelligit. Pleriq; enim nimio vini vſu, rationem amittunt. Itidem, verbi gratia, vocat pallidum, & triſte bellum. Nam affectiones, quæ res comitantur, & inde contingunt, rebus ipſis attribuit. Lycurgus autem, cum rura vitibus conſita poſſideret, vindemiarum tempore, quo Dionyſiaci fructus colliguntur, ad fertiliſsimam Nyſam egreſſus eſt. Nutrices verò Bacchi exiſtimandę ſunt vites. Deinde cum racemi adhuc amputarentur, inquit: Metuens

autem ſibi Bacchus. Metus enim peruertere ſolet mentem: vuę autem preſſæ in vinum vertuntur. Ad hæc multis conſuetudo eſt, conſeruandi gratia vinum in ſua integritate, admiſcere aquam marinam. Proinde

Bacchus in vndas
Se maris immerſit: timidū Thetis alma recepit.

Nimirum poſtremò θέσις, id eſt, repoſitio, expreſsis iam acinis: hęc enim vltima vinum recondit, & accipit timidum adhuc, propter motum ac ebullitionem, ab initio recens expreſsi muſti: metum enim pro tremore dixit. Ita Homerus non philoſophiam ſolùm, allegoricè, ſed agriculturam quoq; occulta ſpeculatione profiteri nouit.

Quæſt. XXVII.

VIdetur planè ordinem inuertiſſe, ac contrà quàm fieri par erat, feciſſe Homerus, qui ſpecies contrarias affinxerit Atę, & filiabus Iouis. Nam has deformi atq; inconcinno corpore deſcripſit, his verſibus.

Magni namq; Litę natæ Iouis eſſe feruntur,
Claudæ, rugoſæ, peruerſis luminibuſq;

Aten verò contra validā, pedibuſq; rectam fecit. Heraclides ſuper his ad hūc modū ſcribit, Homerus his verbis ſupplicantium figuram propoſuit. Siquidem omnis conſcientia hominis,

minis,qui peccauit,tarda eſt : obſecrantes vix audent accedere ad illos, quibusſupplices futuri ſunt,pudorem ſingulis verbis præſeferentes. Sed neq; conſtanter intuentur, retrorſum auertẽtes oculorum aciem. Atque principio ſupplicantium animus nullum admittit lętum ruborem,ſed pallidi,vultuque demiſſo, prima fronte miſericordiã eliciunt.Proinde Litas merito non Iouis filias, ſed ſupplices appellauit:

Claudos, rugoſos, peruerſos luminibuſque.

Aten verò contrà validam, & pedibus rectam fecit. Vehemens enim eius eſt ſtultitia. Nam impetu ſine ratione plena, veluti camelus dromas, ad omne ſcelus fertur. Eſt igitur Homer• veluti pictor affectuum humanorum: id quod nobis contingit, allegoricè Deorum numinibus adſcribens. Hactenus ille.

Euſtathius inter alia multa huc pertinentia, ſic ſcribit:Sciendũ filias Iouis Litas,allegoricè eſſe ſupplicationes, ſcilicet mentis, quę remedia molitur male affectis & ærumnoſis.

De Ate verò hæc adfert: Aten quidem ait validam & robuſtam: ſcilicet pedibus integram: quoniam qui nocent, conſtantes ſunt in eo, quòd nocent, & occaſionem vrgent accelerantes. In alijs autem molles, & delicatos habere pedes Aten, inquit: quaſi ſenſum fallens illorum,quos damno afficit: nempe gradu ſuſpenſo, ſine ſtrepitu pedum accedens, impru-

prudentes aggreditur.

Plato in dialogo de conuiuio,ſeu de amore, hæc ſcribit: Homerus quidem Aten, id eſt,calamitatem Deam inquit eſſe, & mollem. Vtq; illius pedes teneros eſſe oſtenderet, ait, nunquàm pauimenta calcare, ſed per capita hominum incedere: perſpicua ſanè coniectura; quòd tenera ſit, vſus fuiſſe videtur: quia per dura non graditur, ſed mollia tangit.

Plutarchus in conuiuio: Cherſias verò hic præcipitatam ait, ab Ioue Aten: quòd ſponſioni, in qua facienda de Herculis natiuitate, offendit Iuppiter, interfuiſſet.

Quæſtio XXVIII.

PAlladem inducit Aegyſthi morte lętãtem, ac præter quàm quod numini conueniat, non modò merita morte illum perijſſe,ſed etiã alijs eadem auſis ſimilem imprecatur interitũ. Hæc quidem aliena ſunt à ſapientia, & à clementia miſericordiaq; diuina.

An eò pertineant hęc Pallidis verba, quòd ex virtutibus ornatus ſit, pęnas improbitatis dederit, quẽ ne ipſe quidẽ eloquentiæ præſes, Mercurius ab adulterij cogitatione auocare, & abducere potuit. Propterea inquit Pallas: Sic pereat & alius, quicumq; talia fecerit.

Nempe

minis, qui peccauit, tarda eſt: obſecrantes vix audent accedere ad illos, quibus ſupplices futuri ſunt, pudorem ſingulis verbis præſeferentes. Sed neq; conſtanter intuentur, retrorſum auertẽtes oculorum aciem. Atque principio ſupplicantium animus nullum admittit lętum ruborem, ſed pallidi, vultuque demiſſo, prima fronte miſericordiã eliciunt. Proinde Litas merito non Iouis filias, ſed ſupplices appellauit:

Claudos, rugoſos, peruerſos luminibuſque.

Aten verò contrà validam, & pedibus rectam fecit. Vehemens enim eius eſt ſtultitia. Nam impetu ſine ratione plena, veluti camelus dromas, ad omne ſcelus fertur. Eſt igitur Homer⁹ veluti pictor affectuum humanorum: id quod nobis contingit, allegoricè Deorum numinibus adſcribens. Hactenus ille.

Euſtathius inter alia multa huc pertinentia, ſic ſcribit: Sciendũ filias Iouis Litas, allegoricè eſſe ſupplicationes, ſcilicet mentis, quę remedia molitur male affectis & ærumnoſis.

De Ate verò hæc adfert: Aten quidem ait validam & robuſtam: ſcilicet pedibus integram: quoniam qui nocent, conſtantes ſunt in eo, quòd nocent, & occaſionem vrgent accelerantes. In alijs autem molles, & delicatos habere pedes Aten, inquit: quaſi ſenſum fallens illorum, quos damno afficit: nempe gradu ſuſpenſo, ſine ſtrepitu pedum accedens, im-

prudentes aggreditur.

Plato in dialogo de conuiuio,ſeu de amore, hæc ſcribit: Homerus quidem Aten, id eſt, calamitatem Deam inquit eſſe, & mollem. Vtq; illius pedes teneros eſſe oſtenderet, ait, nunquàm pauimenta calcare, ſed per capita hominum incedere: perſpicua ſanè coniectura; quòd tenera ſit, vſus fuiſſe videtur: quia per dura non graditur, ſed mollia tangit.

Plutarchus in conuiuio: Cherſias verò hic præcipitatam ait, ab Ioue Aten: quòd ſponſioni, in qua facienda de Herculis natiuitate, offendit Iuppiter, interfuiſſet.

Quæſtio XXVIII.

PAlladem inducit Aegyſthi morte lętãtem, ac præter quàm quod numini conueniat, non modò merita morte illum perijſſe, ſed etiã alijs eadem auſis ſimilem imprecatur interitũ. Hæc quidem aliena ſunt à ſapientia, & à clementia miſericordiaq; diuina.

An eò pertineant hęc Pallidis verba, quòd ex virtutibus ornatus ſit, pęnas improbitatis dederit, quẽ ne ipſe quidẽ eloquentiæ præſes, Mercurius ab adulterij cogitatione auocare, & abducere potuit. Propterea inquit Pallas: Sic pereat & alius, quicumq; talia fecerit.

Nempe

Nempe qui laſciuia, & libidine diffluens rectè monentibus obaudiet: & honeſta conſilia ridebit. Palladem ſapientię Deam fingunt: non igitur mirum, ſi ſapiens, & virgo, malum precatur adultero.

Apud Xenophontem Hieron de adulteris è medio tollendis ſic loquitur: Neq; hoc latet ciuitates, amicitiam maximum eſſe bonum ciuitatibus, remq; iucundiſsimam mortalibus. Itaq; multę reſpublicæ legem habent ac morem, vt ſolos adulteros liceat occidere impunè. Idq; eò, quòd exiſtiment illos eſſe corruptores amicitię, quę viris cum mulieribus intercedit. Thales Mileſius adultero ſciſcitanti an abiuraturus eſſet adulterium, non eſt, inquit, periurium adulterio peius.

Quæſtio XXIX.

QVid intelligendum per Vlyſſem à Calypſo in ſpecu detentum: quem ipſa mollibus ſuauibusq; verbis demulcet, vt Ithacā obliuiſcatur. Euſtathius ita interpretatur hunc locum: per allegoriā, referunt eam (Calypſo) ad corpus noſtrum, quod quaſi velamen, animalem margaritam tegit: quoniam & ipſa detinuit ſapientiæ ſtudioſum Vlyſſem, tamquam hominem carni illigatum: & vt ſecundum fabulam

bulam loquar, in circumflua, & ſiluoſa inſula exiſtentem. Sic Euſtathius: plura etiam addit ex Platone.

Seu huic eidem quæſtioni ſubnectam, quę de Vlyſſe Pallas ad Iouem.

Pallas enim de Vlyſſe ſollicita Iouem, quaſi Vlyſsi infenſum, his verbis compellat. *Nonne tibi Vlyſſes ad naues Gręcorum ſacrificia fecit grata? quid illi tantum iraſceris?*

Huc referas imitationem, ſiue quis malit, furtum Virgilianũ: Primò enim libro Aeneid. inter ipſa initia Deos, quaſi iniquitatis inſimulans, ſic loquitur.

Muſa mihi cauſſas memora, quo numine læſo,
Quidue dolens regina Deum tot voluere caſus,
Inſignem pietate virum, tot adire labores,
Impulerit?

Chryſes Sacerdos Apollinis, ab Agamemnone contumelioſè acceptus, hoc argumento concitare in Gręcos ſtudet Apollinem, vt ſacerdotis ſui vlciſcatur iniuriam: *Audi me arcum gerens argenteum, qui Chryſen tueris, Cillamq; valde diuinam: Tenedoq; fortiter imperas, Smintheu: ſi quando venuſtum tibi templum ornaui: aut ſi coxas cremaui tibi pingues taurorum, vel caprarum: hoc mihi votum perfice.*

Admirabile perſuadendi artificium ſacerdoti affingit Homerus. (hoc argumento cogas

in

in ordinem omnes, qui ſublime ſedentibus non neceſſariam aſſerunt eſſe bene dicendi rationem, vbi quid in diſquiſitionem ac conſultationem venit.) Conciliat enim beneuolentiam, cum inquit: qui Chryſen tueris: ſimul inuidiam mouet; quaſi dicat tuo numine, tuus ſacerdos eſſe tutus non poteſt? Ab enumeratione officiorum, quæ à Sacerdote præſtari par erat: Si vnquam tibi templum ornaui,& ſacrificia ritè peregi. Hæc igitur ſi conferantur, locus erit à repugnantibus: vel (vt alij alijs vtantur vocabulis artis) à lege & natura oppoſitorum. Dij ſacrificijs ſunt placabiles: ſacrificantes diligunt ac tuentur. Odio igitur habeant neceſſe eſt, qui ſacrificantibus iniuriam faciunt. Hoc igitur ſpectauit Chryſes, vt Apollinem in Græcos irritaret: huc tendunt conſilia, vt iniuriam ſacerdoti Apollinis illatam vlciſcatur Apollo. Scilicet cum illa iniuria coniunctam eſſe Apollinis contemtionem.

Eadem ratiocinatione colligit Pallas, Ioue nō rectè infenſum eſſe Vlyſſi, (natura inquam oppoſitorum) qui & in patria, & apud naues Græcorum, patria procul, grata ſemper Ioui ſacrificia fecerit. Iam de ritu Ethnicorum, de ſacrificijs, quibus Deos reddere propitios ſolebant, otioſum fuerit, hic verba facere. Nuſquam enim non obuia ſunt antiquorum monimenta, vnde ea cognoſci queant.

Quæ-

Quæſtio XXX.

POſtremò de Vlyſſe quærendum eſt, quò tendant illa omnia, quę de Vlyſſe fabulatus eſt Homerus: quem fingit profectum ad Circen: Polyphemo oculum effodiſſe: Sirenum cantus ſuperaſſe: ad inferos deſcendiſſe. Prętérea multa, quę fidem, atq; naturam ipſam excedere videantur. Quid ſenſerint, ſcripſerint viri docti, ingenij acumine pręſtantes: quorſum illa omnia ficta sint. Atq; hæc quęſtionum quaſi clauſula erit.

Euſtathius de Vlyſſe hæc ſcriptis mandauit: Notandum, quòd Homerus initio poëmatis, nomen reticet Vlyſsis: grauibus ipſum attollens Epithetis: auditorem encomijs ſuſpendens. Et pòſt: Laudat Vlyſſem, qui diu oberrans, ac diuturna peregrinatione, multorum hominum vidit vrbes: & mores perſpexit, ac cognouit. Præterea vocat eum πολύτροπον, hoc eſt verſutum, quaſi dicas πολύνουν, πολύμητιν: ideſt ſapientem, qui Gręcis mentem habere dicitur. Nominis etymologiam adfert huiuſmodi: vt ſit Ὀδυσσεὺς, quaſi, Ὀδύσασθαι πόλλους, hoc eſt, qui multos habeat odio: vel qui ipſe odio ſit multis, propter verſutiam. Vel, ab ὁδὸς, id eſt, via: & ὕσαι, id eſt, pluere. Cur autem dicatur ab Homero, πολύτροπος, eius

rei rationem à me ſic habeto: à πολὺ, quod eſt, multum, ſępe: & τρέπω, quod eſt verto. Vt intelligas Vlyſſem eſſe hominem omnium horarum, ſerijs & iocoſis rebus accommodatum: qui foro vti, & præſente rerum ſtatu contentus eſſe poſsit, qualiſcumq; ſit ille. Cùm aſtutis, aſtutè, cum candidis, candidè agere ſciat. Hac etiam dexteritate alia atq; alia pericula perrepſerit, cũ varijs hominibus atq; monſtris conflictatus victoria ſit potitus. Iam redeo ad Euſtathium, qui de eius ad inferos deſcenſu ſic ſcribit: Notandum, quòd deſcenſus ad inferos ſapientis Vlyſsis, obſcura quadam allegoria ſignificat poeta, non quòd vir ille ad inferos, hoc eſt, infra terram effugerit, ſed quòd conſideratione, ſiue ſpeculatione ad terræ profunditatẽ atq; intima penetralia deſcendens, inciderit, atq; inuenerit ea, quæ ibi laterent, occulta. Veriſimile eſt, animam ſapientum, quę facit, aut patitur ſoluta corpore, diſpicere, quę, & qualia ſint ſub terra. Alij dicunt, Vlyſſem, dictante Circe, necromantiam fabricatũ: quę ſub occaſum fit ſolis: quatenus inferni locum innuit poeta: atq; eiuſmodi genus vaticinandi, quo animę educuntur ex inferno: confabulationes cum manibus: reditum ad infernum aiunt. Prætereà poeta fingit talem regreſſum ad inferos, vnde copia maior ſuppetat commento. Hęc ex Euſtathio.

Plutar-

Plutarchus de Homero hæc loquitur: Vlyſſea (Odyſſea vulgatius) reditum Vlyſsis à bello Troiano in patriam continet, ac quę in reditu errans pertulerit: vtq; inſidiantes familiæ ſuæ vltus ſit. Vnde liquet, eum Iliade fortitudinem corporis, Vlyſſea autē animi excellentiam propoſuiſſe contemplandam. (Iliados argumentum paullò ante expoſuerat). Neq; culpandus poeta eſt, quòd non virtutes tantū ſed & vitia animi in poeſibus ſuis deſcripſerit: dolores nimirum, gaudia, metus, atq; cupiditates: quaſi verò & hæc ad imitandum propoſuerit. Enimuerò citra hæc, res magnę, & minimè vulgares non fiunt. Licet autem auditori ea deligere, quę præſtant. Deos hominum conſuetudine vtentes introduxit, non delectandi modò, aut animum percellendi cauſſa: ſed vt hoc ipſo quoq; oſtenderet, curæ Dijs eſſe homines, neq; ab eis negligi. In ſumma autem, narrationem rerum à cōi hominum opinione diuerſam, fabuloſamq; adornauit: vt auditoris animum ſuſpenderet, ac admirationis impleret, auditionemq; eam efficeret, quæ animos percelleret. Inde eſt, quòd quædā parum conſentanea dixiſſe videtur: quòd non ſemper fidem inuenit id, quod prima fronte à cōmuni hominum opinione alienū ac ſublime apparet. Hęc de argumento Odyſſeæ, & multa

alia in laudem Homeri Plutarchus.

Idē de audiendis poetis, et hæc refert: Cū Minerua Vlyſſem à ſe, nec negligi, nec deſeri ait:

Eſt quoniam prudens & cordatus.

Demonſtrat, vnum ex rebus noſtris Dijs acceptum & diuinum eſſe, virtutem. Siquidem ſolent teneri ſimilibus ſimilia.

Idem Plutarchus in commen. de animi trāq. hoc modo ratiocinatur: præclarè etiam Homerus, quid ſit, nec opinato, prę ſcripſit. Vlyſſes mortuo cani illacrymatus eſt: ſed vxori aſsidens ploranti, fuit ab ea perturbatione remotus. Hucenim contulerat ſe conſilio frænata, quam ante repreſſerat, ęgritudine. In illum incautus, atq; repentè, nec opinans incidit. Quid multis? Quando rerum aſperarum nonnullę mœrorem & acerbitatem natura ſua infligunt: plerisq; angi tamen opinione aſſueſcimus ac diſcimus.

Idem in præceptis connubialibus: Cur felix ſit Penelopes & Vlyſsis coniugium, diſputans, rationem adfert compendio verborum. Quia inquit, ſapiens Vlyſſes, pudica Penelope. Idē in ijſdem prçceptis: Cur Vlyſſem prę ceteris amauerit Circe: Piſcatio, ait, quæ fit medicamentis, citò comprehendit & facilè piſcem capit: ceterum inguſtabilem & prauum reddit. Perindequę amatorium virus & pręſtigias machinantur in viros, eoſq; voluptate capiunt:

hæ

hę cum ſtolidis, amentibus, & labefactatis ętatem exigunt. Neq; enim oblectauerunt Circen illi, qui fuerunt potionati, (ne ſtomachere lector potionatos: interpres quiſquis ille fuerit, Suetonij, non Ciceronis eſt alumnus: Plutarchi vox eſt, καταφαρμακευθέντες: quam tu fortaſſe malis redditam hoc modo: venificio quodam, ſcilicet, amatorio poculo allecti atq; irretiti. Agnoſce, bonam fidem) neq; ex ijs, qui conuerſi in apros & aſinos erant, cepit illa voluptatem. At Vlyſſem virum cordatum, cuius erat ſapiens conſuetudo, mirificè dilexit.

Heraclides Ponticus de Vlyſſe, huiuſmodi multa adfert: Porrò vniuerſos Vlyſsis errores, ſi quis diligentius animaduertat, aliud, quàm pręſeferant, ſignificare deprehendet. Homerus enim Vlyſſem, veluti organum quoddam omnium virtutum ſibi proponens, philoſophatus eſt: vt, qui vitia, quibus hominum vita corrumpitur, vehementer odiſſet. Itaq; voluptatem per Lotophagorum regionem, raræ cuiuſdam dulcedinis fruitione captam notauit, quam Vlyſſes ſobriè præterijt. Item efferatum cuiuſq; animum, admonitio ſermonis, veluti cauterio excidit. Nominatur autē ab eo Cyclops, affectus ratione priuans. An nōn verò ipſe primus, cum obſeruaſſet tranquillam nauigionem, per Aſtronomicam ſcientiam,

ventos largiri viſus eſt? Idem veneficijs Circes ſuperior fuit, & multa ſapientia munitus, alienis malorum lenocinijs vinci non potuit; Prudentia autem eius ad inferos vſq; deſcendit, vt ne infima quidem non explorata haberet. Ad Sirenum cantus, quos nemo non audire cuperet, ad cognoſcendum omnium ſeculorum varias hiſtorias, vinculis ſe muniuit. Et Charybdis quidem prodiga luxuria, & potus inexplebilis ingurgitatio, rectè nominata eſt. Per Scyllam verò omnifariam impudentiam inſinuauit. Quo circa non temerè canibus ſuccingitur, rictibus audacia, rapina & auaritia oppletis. Solis autem boues, gulæ continentiã deſignant: quamuis Vlyſsis ſocij fame coacti, illam ſeruare non potuerint. Hęc ſanè omnia, vt prima fronte audiuntur, fabuloſè dicta ſunt: at ſi quis ſapientiam allegoria inuolutam penitius rimetur, magnam vtilitatem ex eius imitatione capiet. Hęc Heraclides.

Mihi de Polyphemo, quem Vlyſſes excæcauit, quid ſentiam, quid videatur, in adagijs meis de partibus corporis humani expoſui. Sed ne adagiorum expectatione te ſuſpenſum teneam lector; cum illa adhuc, & limę, & typographi operam deſiderent, breuibus ſic habeto: Per Polyphemum intelligo virum oculatum, prudentia, & rerum vſu præſtantem: Vel, ſi quis malit, aſtutum, veteratorem.

Quem ſi quis aſtutior circumueniat, eiq; faciſ-tet impoſturam: vel quouiſmodo prudentiam eius obſcurans circumducat, is dicatur oculum excluſiſſe Polyphemo. Fabulantur enim Polyphemum tãtum vnum habuiſſe oculum in fronte, eumdemq; magnum, & circularem; vnde etiam cyclops dictus eſſe videtur. Id autem ad perſpicaciam eſſe referendum, & ego, & bene docti viri mecum exiſtimant. Quòd ſi quis perſpicacior dicendi artificio excellens huic imponat: is prouerbiali figura dicatur excæcaſſe Polyphemum. Vlyſſem enim eloquentia præſtitiſſe, omnibus omnium ſcriptorum monumentis eſt teſtatum.

Xenophon de dict. & fact. Socratis verba huc referenda ſunt hęc. Arbitrari autem ſe, iocando dicebat, idcirco ſues effici homines à Circe: quoniam multis talibus illos nutriebat: Vlyſſem autem partim Mercurij conſilio, partim abſtinentia ſua non factum fuiſſe ſuem.

Natalis Comes Mythol. lib. ix. omnia ferè omnium ſcriptorũ de Vlyſſe monumenta, compendio verborum eſt complexus. Is adhunc modum refert: At nũc, cur hæc ita fuerint ficta, perquiramus. Atq; illud eſto primum: Quòd ſi quis diligentius conſideret illa, quę memoriæ prodita ſunt de Vlyſse, is intelliget, vniuerſam hominum vitam in his fabulis expreſ-

ſamfuiſſe: & prçclara ſub his præcepta contineri: quę ſpectent plurimum ad animos noſtros in omnes fortunę euentus, ad ſapientiam informandos. Quis eſt enim Vlyſſes? an non ſapientia, quæ inuicta per omnia pericula intrepidè pertranſit? (contra ſentit Cæl. Rhod. cuius hæc ſunt verba: Nefas eſt ad hunc modum laudari Vlyſſem, qui ab Homero dicitur polytropos) Aut qui ſunt Vlysſis ſocij? Nonne animorum noſtrorum motus? Cur igitur multos è ſuis ſocijs, in prælijs, aduerſus Ciconas, ad radices Iſmari montis amiſit? Cur multi fuerunt à Leſtrigonibus abſumti? Cur nonnulli à Cyclope vorati? Cur alij à Scylla, & Charybdi, grauiſsimis monſtris, abſorpti? Quoniam multi vel ira, vel doloribus vincuntur, vel rebus aduerſis ita infringuntur, atq; conſternantur, animoque deficiunt, vt ad piorum locum, tamquam in patriam peruenire non poſſint. Nam cum pars animę noſtrę altera rationi pareat, altera ad illam ſurda ſit omnino, meritò illos ſocios Vlysſi iniunxerunt. Alij contrà, non cedunt quidem difficultatibus, aduerſus quarum molem inuicti perſiſtunt: ſed inter Phæacum delicias, aut interfructuum Lotophagorum ſuauitatem, aut periucundisſima Circes pocula, aut cantus Sirenum, propriam ſalutem neglexerunt. Quare non-

pau-

pauciores inter delicias, aut voluptates, quàm inter grauiſſima pericula, ſocios Vlyſſes deſiderauit. Quanta ſit autẽ vis voluptatũ, quamq; pernicioſa mortalibus, declarauit exemplum Polyphemi. Quippe vel tanta moles Cyclopis fuerit per vini ſuauitatem oppreſſa. Cum demonſtrarent rurſus poetæ, diuinam bonitatem omnibus patere, eius auxilium implorãtibus, dixerunt illum ventos in vtrem inclufos ab Æolo accepiſſe: quæ tamen neglecta ſemel, poſtea non foret ita facilis, & omnibus obuia: illum ad Æolum reuerſum, repulſam paſſum fuiſſe inquiunt. Deinde oſtendunt auaritiam ſociorum Vlysſis, qui vtrem recluſerunt, multorum, & laborum, & calamitatum fuiſſe originem. Ibidem quàm neceſſaria ſit imperatori vigilantia, oſtenditur: cum neq; tantillum quidem ab adminiſtratione rerum, ad communem omnium ſalutem pertinentium, recedere liceat. Quamuis pleriſq; nõ ad publicã, ſed ad propriã vtilitatẽ, reſpublicas gubernare nunc mos eſt: qui neglecto humanitatis & æquitatis iure, illud tantũ, quod ſibi conferat legitimũ eſſe arbitrãtur. Deinde ſignificatũ fuit per hęc, viro bono neceſſariã eſſe omnino prudentiã, & rerũ futurarum, quaſi diuinationẽ quandã, & pręcognitionẽ: cũ ſciſcitatũ de reb⁹ futuris, vel inferos adierit. At verò non ſufficere vires humanas, ad ſuperanda pericula, vel titillationes

volu-

voluptatum, ad quas obſtupeſcit humanum ingenium, facilè monere poteſt Mercurij munus, quod datum eſt Vlysſi, aduerſus omnia veneficia. Cur inter ſuauisſimos Sirenum cantus, vel aures obturari, vel ad malum alligari conuenit? Quia aduerſus illegitimarum voluptatum illecebras, vel ſurdos eſſe, vel rationi firmisſimè alligatum, obtemperare omninò opus eſt. Cur ſocij naui igne fulminis cœleſtis cõflagrante, vbi greges ſolis mactauiſſent, eo Deo neglecto, in mari perierunt, ac ſolus Vlyſſes euaſit? Quia nemo impunè deniq; religionem parui facit, cum innocentes ſemper Deus protegat, & adiuuet. Hic idem modò nudus, & ad littus eiectus, inter frondes latuit: modò auri, & argenti diues, multis acceptis ſocijs & muneribus, in patriam dormiens exponitur, ob fortunæ vicisſitudines, quas virum ſapientem æquo dnimo perferre opus eſt. Hic idem ſumto mendici habitu, conſilio Palladis, poſt omnes procos cæſos, tranquillus in patria fuit: quoniam viri boni, & mali eumdem habent ortum, & exitum vitæ: omnes enim mendici, & nudi naſcuntur ac moriuntur. In illo igitur habitu, ſuperatis deniq; & extinctis libidinis, voluptatumq; omnium ſtimulis, qui proci ſunt animæ noſtrę, in patria, in piorum locis, in Deorum concilio felicisſimè viuimus. Quare ſi quos vel illa monſtra, quæ dicit Vlyſſes, alicubi extiſſe

tiſſe credat, vel, ſi extitiſſent tam diſperſa, ad illa omnia Vlyſſem fuiſſe delatū, is nimiū rerum antiquarum ſcriptoribus, pro quadam ſimplicitate credit: & à veritate omninò valde delirat. Sin hæc omnia ad mores, vitámq; mortalium rectè inſtituendam excogitata putet, mecum planè ſentit: cùm omnia hęc ad omnes fortunæ euentus, ſapienter ferendos, non mediocriter pertineant. Dicta eſt Minerua Vlyſsi omnem deformitatem abſtuliſſe: vt ait Plutarchus in Synopſi: quia ſapientia omnia corporis vitia deleat. Hęc ad verbum, ex Natalis Comitis Mythologia huc adſcribere viſum eſt. Sitq; hæc Homericarū quæſtionum clauſula:

Reſtat, vt ex Cęlio Rhodigino mortem Vlyſsis, quaſi totius tragœdiæ addamus exitum. Is in fine lib. xx. antiquarum lectionum ita ſcribit. Verùm quia de vitæ diuturnitate locuti ſumus, ſciendum Vlyſſem ab Lycophrone coraca dici; hoc eſt, coruum διὰ τὸ πολυχρόνιον: quoniam ætate iam feſſus interijt, ab Telegono interemptus: quem ex Circe ſuſceperat, Cuius rei vel Oppianus comme minit.

Quæſtio XXXI.

IN ſequentibus ethica videbis adſperſa fortaſſe non ingrata futura. Iam illud ridiculum, & planè abſurdum videtur, quòd Mineruam, quam ſapientiæ præſidem, adeoq; ſapientiam ipſam fingit, hoc loco imprudentię, ac temeritatis à Ioue inſimulatam inducit: quippe quæ verba effutiat inepta, digna, quæ (vt ita dicam) per iugulum redeant. Verba Iouis ſunt.

Quale verbum tibi excidit, elapſum extra ſeptum dentium.

Videtur ſimilimum prouerbio, quod vſurpatur, cum mentem præcurrit lingua: cùm quis ea loquitur, quę paullò poſt indicta velit. Eſt autem hoc:

Lingua quò vadis?

Iactatum in hominem intempeſtiuè loquacem

An reſpondeat illis Mineruę verbis.

Nonne Vlyſſes tibi ſacrificando rem gratam fecit? Cur eidem adeò iraſceris?

Iuppiter audiens ſe quaſi iniquitatis argui, & qui nullam, vel exiguam habeat rationem illorum, qui pia mente ſacrificijs dăt operam: reſpondet, quo pacto tibi hoc verbi elapſum? Quid dicis inepta? Mène viro bono, viro ſapienti, & ſacrificijs me colenti eſſe infenſum? Nefas ſit tale quid de Ioue, Deorum optimo

&

& maximo, vel cogitare, vel ſuſpicari. Itaq; intelligendum non Mineruam argui vanitatis, ſed Iouis eò tendere reſponſionem, vt iniquitatis remoueatur ſuſpicio. Vſitatum eſt tam Latinis, quam Grecis hominibus, vt, ſi fortè redarguere & reprehendere volunt quempiam, qui verba protulerit ab re propoſita aliena, vel è diametro oppoſita, vel quæ omne decorum excedant, minimeq; conueniant illi rei aut perſonæ, de qua agitur, admirabundi quærant, quod verbum excidit tibi? Vbi ipſa pronunciandi, ac quærendi ratio admoneat eum ſecus atq; par erat, locutum eſſe.

Euſtathius hunc locum ſic interpretatur: Ad refrenandam ſcilicet linguę petulantiam ea pertinere verba Iouis. Verba Euſtathij ſunt: Obſcurè, quaſi per ænigma ſignificat poeta naturā verbis oppoſuiſse duplex ſepimentū: ſunt enim alata, ne fortè erumpant atq; excidant temerè, labrorū vnū ſeptum; dētium alterum. Quibus prohibeantur vltro citroq; cum petulantia quadā cōmeare. Itaq; veluti muro cinctus duplici, atq; intra fines concluſus ſermo retineatur. Propterea ſermo intēpeſtiuus, ſcilicet, cum ineptus quis, quē tacere fas eſt, loqui conatur, dicitur egreſſum moliri per tyrannidem: vt quaſi fugitiuus elabatur è carcere, id eſt, è ſepto dentium.

Quæſt.

Quæſtio XXXII.

NEq; ibi decorum ſeruauit Homerus; & planè præter naturam, præter conſuetudinem atq; opinionem hominum, fingit Telemachum loqui: Verba eius ſunt.

Cœna fartus hoſpes loqueris, quæ te decent.

Leontychidas, percontanti cuidam quamobrem Spartiatæ parciſsimè biberent, ne, inquit, pro nobis alij, ſed nos potius pro alijs conſultemus. Salſiſsimè notans, vinoſos non eſſe ad conſultandum idoneos: ſed ſalubrium conſiliorum parens eſt ſobrietas.

An reſpexerit ad prouerbium.

In vino veritas.

Quo ſignificatur animi fucum ebrietate tolli; cum alioqui multæ ſint in eo latebræ, multi receſſus, vt ait Tullius in oratione pro M. Marcello ad Cæſarem. Ebrij enim in apertum proferre ſolent, quidquid in pectore reconditum, vel cum famæ, fortunarum, capitiſq; periculo. Eſt etiam aliud huc pertinens dictum vulgatiſsimum.

Quod

Quod in corde ſobrij, id in lingua ebrij.

Alcibiades in Sympoſio Platonis, vinum, & cum pueritia, & ſine pueritia, veridicum eſſe ait.

Marcus Tullius in Topicis, inter ea, quæ faciunt fidem, etiam vinolentiam commemorat.

Itaq; dicendum erit, Telemachum nouitatis, atq; veritatis cupidum, prius cæna hoſpitem (Pallada) madefacere voluiſſe, quam de re quapiam percontari; quò liberiùs exponeret, ſi quid haberet.

Athenæus lib. 4. dipnoſoph. Cibi, inquit, graues regiam animi magnitudinem obturãt: neq; rationis participem animi partem in ſe ipſa eſſe patiuntur. Idem eodem libro, eodemq; loco, multum, ait, comediſſe, & carnibus veſci, cogitationes eximit.

An ad illud referendum, quod aiunt.

Ventre pleno melior conſultatio.

Plutarchus meminit eius in Sympos. Cum enim fames interpellat, non vacat, neque libet deliberare. Propterea quòd conſultatio moram deſiderat, & animi tranquillitatem: at, fames bilem acuit.

Niſi fortè eò referri debeat, quod Herodotus in Clio lib. 1. ſcribit, qui Perſis ait eum

fuiſſe

fuiſſe morem, vt benè poti de rebus grauiſsimis conſultarent.

Perſius item ad hunc modum.

Ecce inter pocula quærunt
Romulidę ſaturi, quid dia poemata narrent.

Euſtathius in commentarijs hæc refert: Δεῖπνον, id eſt, Cœna, hoc loco planè ientaculum intelligit. Adfert etiam vocabula ipſa, quibus vtitur Homerus. Differunt autem, inquit, πάσασθαι (quâ voce hic vtitur Telemachus) & πάσσειν: illud enim idem eſt, quod guſtare: hoc verò, varietate diſtinguere, & ornare. (ſubaudi ferculorum immiſsionem, atq; refer ad apparatum ſumtuoſum) Neque hic perferre moram voluit Telemachus nactus occaſionem: ſed hoſpitem ſimul excipere conuiuio, lautèque tractare: & ab eodem curioſè omnia perquirere. Hactenus Euſtathius. Hinc iam tibi colligere licet, illud πασσάμενος, non rectè interpretatum eſſe, fartus, ſed refectus potius erat vertendum.

Quæſt. XXXIII.

Cantum, & ſaltationem Telemachus, vel potius ſub perſona Telemachi, Homerus ait, eſſe ornamenta conuiuij.

Sertorius ille Romanus contrà, ſuos admonere ſolebat, ne quid in conuiuio, præter decorum vel fieret, vel diceretur: pręſertim à

iurgijs

iurgijs & obſcenitate temperare:

Alphonſus Arragonum Rex, cũ fortè mulierem quandam impudētiùs ſaltantem vidiſset, expectate, inquit, mox Sibylla edet oraculum. Sentiens ſaltationem inſanię genus eſse. Sibylla autem vates non edebat oracula, niſi furore correpta.

An ex Platonis ſententia locutus ſit, quam huc pertinere arbitror. In dialogo vij. de legib⁹ ſeu legũlatoribus, ſic loquitur: Oportere diximus Dionyſiacos cantores ſexaginta annos natos, rhythmorum naturas, harmoniarumq; conſtitutiones acutè ſentire: vt in cantibus affectus animi imitantibus, probi animi imitationes, ab imitationibus improbi ſecernere poſsint: & has quidem reijciant, illas in medium deductas, adoleſcentium auribus concinant, trahantq; illorum animos imitatione quadam perductos ad virtutis ipſius poſseſsionem.

Idem in eodem dialogo: cumq; ait, in alijs multis nominibus benè & ſecundum naturam poſitis, laudanda antiquitas ſit, in hoc quoq; probanda eſt, quòd ſaltationes cunctas moderatorum hominum, in rebus ſecundis temperatè gaudentium, rectè admodum, muſicèq; & ſecundum rationem concinnitates; quiſquis ille fuerit, nominauit: duaſq, honeſtas ſaltationis conſtituit ſpecies. Hactenus Plato: qui

& plura eodem loco, & alibi ſcripſit huc pertinentia.

Apud Plutarchum lib. 1. quæſt. conuiuialium Ariſtonis inter alia hæc ſunt verba: Idem à nobis poſtulãt (vt ſcilicet reiecta è conuiuio philoſophia, pellicibus, vino, & tripudijs indulgeamus) in conuiuia, vt muſicam, & mimos accerſamus: philoſophiam verò ne moueamus: quaſi neq; ſit ad iocos illa appoſita, neq; nos tunc ſimus ad ſeria comparati. Senſit ille ſubobſcurè philoſophãdum potius, quàm canendum, aut ſaltandum in conuiuijs.

Euſtathius, medetur enim, inquit, & corrigit inſolentiam, & perturbationem muſica: & faſtidium animiq; aſperitatem lenit, atq; mitigat: tollit mœrorem: manſuetudinem, & lętitiam reddit liberiorem.

Dicendum fortaſſe Telemachum per ironiam, ſeu potius amarulentum ſcomma notare procos: qui aliena quadra otioſè victitãtes, ea tantum quærant, & conſectentur, quæ ad voluptatem corporisq; commoda pertinent. Addit enim, *qui cibo alieno facilè, & impunè veſcuntur, his curæ ſunt cantus, & cithara.*

Quæſt. XXXIV.

Sıccine fieri par eſt? Tam audacem fabulatorem quis ferat? Loqui, quòd aiunt aduerſus

uerſus Solem, hoc eſt, repugnare manifeſtis nihil veritum? Quod omnibus eſt in confeſſo, id vocare in dubium? Penelope illa cantatiſsima, quæ per viginti annos quibus abfuit Vlyſſes, pudicitiam integerrimè ſeruauit: neque adduci vllis rationibus potuit, vt ad ſecundas nuptias tranſiret, atq; alicui ex heroibus connubium eius ambientibus nuberet, quando Troia euerſa & incenſa, omnes domum redierant bellatores, qui cum Vlyſſe profecti erant. Illam, inquam, vel filio de adulterio ſuſpectam, filiumq; perperam de illa ſentientem nobis ante oculos producet Homerus? Credibilene eſt temerè ab antiquis virtutē Penelopes adeò fuiſſe celebratam, niſi quid ſingulare in illa fuiſſet?

Atqui aiunt, *Pana peperit cum procis congreſſa*. Fabuloſa ſunt illa: natura, & rei veritas repugnant. Contradicunt qui naturam hominum ſcrutantur: ex ſemine multorum, mulierem concipere poſſe negant. Verba Telemachi ſunt:

Mater quidem mea me ait eſſe illius: (Vlyſſis) Ego verò neſcio.

Nonnè hæc reſponſio ſuſpicioſa eſt? Hic ego nactus occaſionem, mores omnium nationum, hac ætate circa filios in publicum producendos eadem paullò altius repetens enarrabo. Videmus patrem prodeuntē filios

ponè ſequi, quemadmodum dominos ſerui ſolent, vel alij abiectioris conditionis homines, primates officij gratia proſequi. Non ſecus è veſtigio patrem filij ſequuntur præcedentem. Matres verò familias, ſiue filios, ſiue filias ſecum producant, illos præcedere iubent: ipſæ, quaſi pediſſequæ, conſequuntur. Id videns aliquando quis ex aulico comitatu, atq; animo reputãs, iocularem popularibus ſuis propoſuit quęſtionem his verbis: Scire velim, atq; cauſsã mihi exponi, cur patres obambulantes filios relinquant poſt terga, quaſi pueros amanuenſes, vel, vt loquũtur, à pedibus? Matres verò cõtrà vtriuſq; ſexus filios, pręcedere volunt? Cur non eadẽ vtriuſq; parẽtis, de comitatu filiorum eſt ratio? Ibi alius fortè ingenio ad cõminiſcẽdum expedito, reſpondit: in promtu cauſſa eſt. Matres enim, inquit, iureiurando, ſi iudicium fiat, affirmare poſſunt, ex ſe natos eſſe filios: Patres non item. Hinc factum, vt, quos ſuos eſſe certò ſciant matres, præcedere iubeant, adſpectu, inceſſu, atq; ſpecie illa prolis ſuæ delectatę. E diuerſo patres, etſi perſuaſum habent ex ſeſe genitos eſſe filios, ne tamen temerè videantur aſſerere ſuos eſſe, qui alterius eſſe poſsint, veſtigijs hærere filios volunt: vt ſi quid in diſceptationem de ortu illorum veniat, ad manus ſint in vtramq; partem argumenta, quibus eludant contrà diſputantem. Reſponſio auli-
co

co dignisſima. Sed iam, relictis iocis, videamus, quid Euſtathius ſuper his Telemachi verbis afferat, quidue ſentiat. Verba eius ſunt hęc.

Homerus per mimeſin, Telemacho verba attribuit puerilia, atq; ſimplicis cuiuſdam ingenij: in quo neq; fucus, neq; artificioſus lateat dolus. Interrogatus enim, an filius eſſet Vlysſis, ſimplicisſimè reſpondit; Vlysſis quidem me filium eſſe aiunt: mihi autem id non ſatis conſtat. Hæc Euſtathius.

Verùm ne te pigeat lector, audire, nũ ego fortaſſe ἐυςοχώτερος ſim, hoc eſt, num propius accedã ad metã: nũ rei veritatem proprius cõtingat mea cõiectura. Memineris eorũ, quibus ad facinus heroicũ, nempe ad cædem procorũ hortabatur Telemachum Minerua. Ibi hæc ſunt eius verba: *Non amplius te decet agere more pueri, ac conſectari puerilia: non enim iam ea es ætate.* Hęc ſi memori mente reconditatenes, accipe quid mihi videatur: Proci multi ambibant Penelopen matrem eius: Pater multos iam abſuerat annos: ingenium muliebre dicitur in lubrico ſtare, exiguo momento huc, illuc impelli. An fortaſſe ſuboſcurè ſuſpitionẽ ſpargere adulterij velit: vel etiam malè ſuſpicantibus anteuertere. Senſus vt ſit: Me quidem Vlysſis aiunt eſſe filium: ſed mihi id non poteſt eſſe exploratum. Quaſi diceret, multos vides cum matre mea habere conſuetu

dinem: fieri poteſt, vt odioſis precibus, mune ribus, minis expugnata pudicitia, me ex alio conceperit: atq; ego ſim Vlysſi ſuppoſititius. Niſi tamẽ per ironiam dici exiſtimes, atq; illis derideri procos, parum ſibi conſtabunt illa verba, neq; Telemacho filio conuenient. Ironia autem ex eo facilè colligitur, quod pergens in reſpondendo ait:

Vtinam felicis alicuius eſſem filius: quem in re benè lauta deprehenderet ſenectus. Nunc autem ille omnium infeliciſſimus eſt mortalium, ex quo me natum eſſe aiunt.

Caius Gracchus Corneliȩ matri, neſcio quid parum honeſti adſpergentem, & obtrectantem correxit his verbis. Tu Corneliam vituperare audes, quæ Tiberium peperit? Et adiecit: qua fronte comparare te audes Corneliæ? An tu peperiſti, vt illa? Atqui nemo ciuis ignorat, diutiùs illam ſine viro fuiſſe, quàm te virum. Hæc ſcilicet verba erant filio digna: qui pudicitiam matris, vel ob minimam dictionem ſuſpicioſam, aperto, quod aiunt, Marte, defendendam ſuſcepit. Tantum non occinit illud Iuuenalis.

—malim fraterculus eſſe gigãtũ.

Cicero de finibus ſic ait: Plerumq; impro-

borum

borum facta, primò ſuſpicio inſequitur: deinde ſermo atq; fama. Suſpicari dicitur is, qui cum animi quadam hæſitantia, id adſpicit, de quo dubitat: ſuſpicionem prodit ſermo. Dicat quis, qui Telemacho veniat patronus: at hic nulla ſuſpicionis apparet nota: negat tantum ſibi conſtare ex Vlyſſe natum ſe eſſe. Iſti patrono occurrit illud. De patre dubitat filius: de matre non perinde. Et patrem habuerit neceſſe eſt, vel ſi terræ filius ſit, quod dici ſolet de hominibus ignotæ originis. *Matrem nouit*: quibus rationibus ſartam tectam matris ſerua bit pudicitiam, fidemq; iugalem, cum hac dubitatione?

Quæſtio. XXXV.

PRæterea Telemachum facit pugnantia loquentem, his verbis.

Illa verò neq; abnuit nuptias odioſas, neq; fidem facere poteſt.

Odioſę illi nuptiæ ſunt? cur non repudiat? Hic etiam matri labem adſpergere videtur pudicitiæ proſtratę. Ad coniecturam ſi venias: dices vultu ſimulabat ſibi inuiſos eſſe iuuenes illos: re autem vera cordi ſint maximè.

Huc facit illud Pauſaniæ in rebus Arcadicis, qui Mantinéſium de Penelope ſermonem fuiſ-

ſe ait: eam ab Vlyſſe damnatam illo crimine, eiectamq; domo, quòd procos vltrò allexiſſet, & inuitaſſet. Pudor, & veracundia muliebris requiritur in matronis honeſtisſimis. Parum enim conſtantes videntur, quę adulteris ſollicitantibus, & tantum non montes auri pollicentibus aſſenſionem ſuſtinent: neq; vel nutu, vel quouis alio pudoris ſigno irritam, & vanam eorum eſſe ſpem ac conatum oſtendunt.

Euſtathius paucis eam excuſat: non abnuit, inquit, nuptias odioſas: quaſi falſa ſpe lactans, ne per vim ſtupretur. Hęc ille.

Adde huc: cognouerat Penelope disſipantium facultates ſuas iuuenum petulantiam, temeritatem, ceruiceſq; duras: multis profligandis ætate robuſta viris, mulier, eaque ſola, par eſſe non poterat. Hac cauſſa promisſionibus produxit dies, horas, & annos, futurum ſperās, vt à marito reduce, ex virtutibus ornarentur: quod ita factum eſt. Per dolum enim ab eodem reuerſo trucidati ſunt.

Huc pertinere arbitror, quod de Lucretia illa Romana, T. Liuius ſcribit dec. 1. vbi obſtinatam videt (Lucretiam Tarquinius ſubſeſſor coniugij) & ne mortis quidem metu inclinari, addit ad metum dedecus. Cum mortua iugulatum ſeruum poſiturum ait: vt in ſordido adulterio necata dicatur.

Secus

Secus inuicta pudicitiæ tutatrix Suſanna: quæ ſimile quid minitantibus ſenibus nefarijs, ſecum tacita: Malo inquit, me innocentem damnari, quam dominum per ſcelus à me offendi. Nolo impij atq; libidinoſi homines de meo corpore agant triumphum. Eſt igitur in Penelope caſtæ ſimul, & prudentis fęminæ exẽplum. Nam ſtultum eſt, inquit Comicus, admittere, quod cauere poſsis.

Quæſtio XXXVI.

IAm id quæritur, qua ratione Palladi conueniat conſilium, quod dedit Telemacho, de procis, ſeu dolo, ſeu palam interficiendis. Verba eius ſunt:

Conſidera deinde mente, & animo, quomodo procos intra ædes tuas interficias, ſiue dolo, ſiue palàm.

Et quò facilius perſuadeat, argumentum ducit ab honeſto. Docet exemplo, id illi fore laudabile, & glorioſum.

An, inquit, non audiſti, qualem gloriam conſecutus ſit Oreſtes apud omnes homines, poſtquàm occidit Aegiſthum doloſum?

Alia erat ineunda ratio: aliud ac tutius conſilium promendum erat è pectore Palladis. Monſtrandum, quo pacto infamiam vitaret: & nebulones ex ædibus eijceret, & exturbaret.

Non

Non enim ſapientis eſt, temerarium homicidium, & prꝗſentis periculi ſuadere ſuſceptionē.

Euſtathius hanc adfert interpretationem: Suadet, inquit, Athena, hoc eſt, prudentia, Telemacho: qui, cum non amplius ſit talis, vt res agat pueriles, virum ſeſe præſtet: virile facinus aggrediatur: à matre fœdiſsimam propulſet iniuriam: procos ſiue per inſidias, ſiue aperta vi de medio tollat. Tum artificio oratorio hortatur eum argumento à ſimili: incitat ambitionem ac zelotypiam iuuenilem, dum æqualem eius, regium adoleſcentem laudat Oreſtem. Sed argumentum hoc à perſona ductum Oreſtis, non videtur ſatis appoſitum ac conueniens. Oreſtis enim, & Telemachi facinora non conueniunt in idem: neq; eiuſdem ſunt rationis. Oreſtes enim adulterum interfecit, atq; illum vnum: tum matrem ſuſtulit adulteram. Telemacho autem non cum vno, ſed cum pluribus erat dimicandum: non adulteros, neq; parricidas habiturus erat aduerſarios. (conatum enim ab effectu diſtinguunt leges humanæ.) Præterea mater eius non eſt adultera, ſed caſtiſsima, & modeſtiſsima. Diſsimilimum itaq; eſt exemplum, quo Pallas vtitur. Hæc Euſtathius.

Eo fortaſſe reſpexiſſe Palladem dicendum eſt: quod dicitur de ſeruanda integra atq; illæſa Principis fama: Domus Cæſaris non crimine

mine tantum, ſed criminis ſuſpicione vacare etiam debet. Si nihil molitus eſſet contra procos, neq; animi excelſi indicia protuliſſet, atq; in ſuſpicionem fœdæ diſsimulationis, vel etiã lenocinij venire poterat.

Quæſtio XXXVII.

QVòd vero matrem ingredi in ædes, colũ, & telam exercere, ancillis imperare, iubet Telemachus, in eo non parum ineſſe ponderis, quinetiam œconomicæ legis plurimum videtur. Verba eius hęc ſunt.

Domum ingreſſa, tua opera adminiſtra: telamq; & colum: & ancillis impera opus accelerare. Sermo autem, viris erit curæ.

Hic non vides Tomyridem inſtrui, quę apud Herodotum in Euterpe per caduceatorem verbis Cyrum compellat minacibus: Inexplebilis cruore, Cyre, ne ſpiritus tollas ex hoc, quod actum eſt. Si fructu vicino (Herodotus ἀμπελίνῳ καρπῷ habet: quod ego interpretor, fructu vitis, vel, ſi liceat, vineali) quo ipſi diſtenti adeò deſipitis, vt deſcendẽte in corpus vino, improba à vobis verba fundantur: tali veneno filium meum viciſti, dolo, non prælio ſuperior. Minitatur malum iureiurando. Sed ſatis ſit, alia officia requiri à muliere, quam bellica.

Neq;

Neq; Semiramis huc ſeſe admiſcet. Quid Plato, quid alij de muliebribus officijs ſtatuant, huc referam: vt quaſi paræneticum quid hinc emergat.

Socrates apud Platonem in Menone, ſic loquitur: Eſt enim mulieris virtus, domum rectè gubernare, dum curat domeſtica, viroque obedit.

Plutarchus de mulierum virtutibus eandem virorum, & fœminarum eſſe virtutem ait: ſed, niſi paradoxon attulerit, in intimis animi ſenſibus haud nihil occultum retinuit.

Apud Liuium Lucretia nocte ſera inter lucubrantes ancillas lanę dedita (fortaſſe etiam penſa diſtribuens) in medio ędium ſedens inuenitur.

Apud Xenophontem in œconomico, ad hũc modum verba facit Iſchomachus: Mihi Deus naturam mulieris videtur ad curam intus ſuſcipiendam in lucem protuliſſe: mollioreq; corpore, vt intra parietes officium obiret.

Ariſtoteles reprehendere Platonem videtur lib. 2. de repub. quod mulieres eadem inſtituẽdas putauerit eſſe diſciplina, qua viri: easq; vnà cum viris oportere pugnare.

Herodotus in Euterpe: Quòd autẽ mulieres à Dodonæis columbę vocatę ſunt, ob id mihi videtur factum, quia barbarę eſſent: quòd videlicet ſimile quiddam auibus ſonarent. Ad garru-

garrulitatem hoc pertinere arbitror.

Quòd verò addit Telemachus, ſermonem viris eſſe curę: id Ariſtoteles approbat lib. 1. de republica, his verbis; Mulieri decus affert ſilentium: Virum autem idem ornat.

Euſtathius rem totam confert in pauca. Muliebria, inquit, officia hic in anguſtum cogit poeta: ſcilicet ad lanificium, & imperandum ancillis; ſermo autem non decet mulierem.

Quæſtio XXXVIII.

EAm cantionem magis laudant homines, quæ auditoribus eſt recentisſima.

Verba Telemachi, quę inter prouerbia relata, ſpeciem, & figuram prouerbialem induerunt: atq; hodie omnium ore iactantur. Significant autem rerum nouarum maximè, cupidos homines eſſe.

Euſtathius huc refert illud Pindari.

Lauda vinũ vetus, ſed nouorũ hymnorum flores.

Gratiores enim ſunt hymni, quibus res nuper geſtæ celebrantur, quàm quibus tractantur priſca. Pręſertim apud imperitos. Re autem vera, antiquitas gratiam, nouitas conciliat inuidiam. Perſtringitur eo humani ingenij faſtidium, quo exotica mirantur homines: & quæ domi habent, contemnunt.

Quæ-

Quæſtio XXXIX.

IAm quod Eurymachus inquit:
Multæ volitant ſub radijs Solis aues: Sed non omnes aptę ad auguria.
Neſcio quid habere videtur in receſſu, ſi quis altius indagare velit, vel ænigma, vel ſententiam ineſſe prouerbialem deprehendet, niſi me coniectura fallit.

Reiecta priſcorũ ſuperſtitione de augurijs, quid mihi in mentem venerit, & quò referri Eurymachi verba poſſint paucis dabo. Ego cõmodiſsimè vſurpari poſse puto, ſpecie prouerbiali, cum ſignificare volumus, non omnia ſigna certi eſſe euentus Vel potius, non cuiuſlibet hominis conſilia eſſe probanda. Vel non quemlibet adhibendum conſultationibus, aut legendum in Senatum: licet adſpectu eo ordine digniſsimus videatur. Neſcio an quid ſimile habeat cum illo: *Non ex quouis ligno fit Mercurius*: quo ſignificatur non omnium ingenia diſciplinis eſſe accõmodata. Quod referẽdum eſſe aiunt, ad magicum Mercurij ſimulacrum: quem non ex quauis materia, ſed certo ligno ſculpebant: alioqui ad magicæ artis vſum non futurum idoneum.

Quæ-

Quæſtio. XL.

PAllas habitum, & vocem Mentoris mentita, Telemachum his verbis compellat:

Pauci filij ſimiles ſunt patri:

Pleriq; peiores: pauci verò parente meliores.

Contra illud: *ſimile à ſimili generatur.*

Item.

Contra illud: *fortes creantur fortibus.*

Et illud Ariſtophanis de ijs, qui improbis nati parentibus, nihil degenerant: ſed in auitis ſordibus perſiſtunt, & non raró peiores illis:

Sequimini matrem porci. Et:

Mali Corui, malum ouum.

Ariſtoteles lib. 1. de generat. animal. Vt filij, inquit, ſimiles ſint parentibus, exigit ratio: ſimile eſt enim, quod ad partes acceſſerit, ei quod remanet.

Marcus Antonius filium habebat ex Fuluia. Is puer Philotæ dederat ingentem vim vaſorum, quę cum ille recuſaret accipere, metuens ne pater tantam filij liberalitatem non probaret: Quid, inquit, times accipere? an neſsis eum, qui dat filium eſſe Antonij? ſcilicet liberalitate ſimilem patri ſentiebat eſse filium.

An reſpexerit ad educationẽ, & cõſuetudinẽ, de qua multa apud Platonẽ: qui docet magnã in liberis educandis adhibendã eſſe diligentiã.

Res

Res quidem efficax eſt natura, ſed potentior inſtitutio, quæ malam naturam corrigit, & in bonam vertit. Quales naſcantur liberi, nulli in manu eſt: at vt recta inſtitutione euadant boni, noſtræ poteſtatis eſt.

Lycurgus duos dicitur educaſſe catulos eodem patre, eademq; matre progenitos: quorũ alterum paſſus eſt domi lautioribus cibis veſci; alterum eductum venatibus exercuit. Poſtea cum produxiſſet ambos in forum, adſtante multitudine, ſpinas poſuit illis, ſimul etiam eſcas delicatiores: mox emiſit leporem; cum vterq; raperetur ad aſſueta, alter ad eſcas, alter leporem inuaderet: an non videtis, inquit, ciues, duos catulos, cum ſint eiuſdem generis, tamen ob diuerſam educationem admodum diſsimiles inter ſeſe euaſiſſe? pluſq; ad honeſtatem momenti habere exercitationẽ, quàm naturam?

Euſtathius: Etiam hæc pertinẽt ad acumen & verſutiam Homeri, ne regium puerum frugaliter impediat, & abducat ab expeditione nauali & congreſſu, & ciues ſimul abſterreat.

Ariſtoteles libro primo de republica: Quẽadmodum, inquit, ex homine hominem, & è bellua naſci videmus belluam: ita ex bonis bonum.

In eum locum Petrus Victorius hæc adfert. Quæſtio, inquit, hęc omni tempore, multum agitata

agitata eſt. Viſum enim eſt ſemper admirabile, è moderatis, & ſapientibus parentibus naſci filios nequiſsimos, & imbecilli admodum conſilij. Id, quod etiam ab ijs, qui veterem memoriam litteris prodiderunt, exemplis multis poſitis, notatum eſt. Nam comici quoq; Gręci teſtantur, hoc vſu veniſſe liberis Hippocratis, ſummi medici, qui omnium ſtultiſsimi extitere, atq; paſsim irriſi, & deſpicatui habiti ſunt. Hactenus Petrus Victorius.

Apud Platonem in Protagora, Socrates interroganti, quam ob cauſſam bonorũ patrum filij mali reperiantur, reſpondet hoc modo: ſi in tibiarum flatibus, eadem animi flagrantia, charitateq; inuicem nos erudiremus (paullò ante dixerat, virtutis curam, non ad vnum aliquem ſed ad omnes pertinere, ſi conſiſtere ciuitas debeat) num optimorum tibicinum filij magis, quàm deteriorum in his ſonis, periti euaderent? Nequaquam, vt arbitror: ſed quicunq; natura ad tibias inflandas ingenioſus eſſet, magis proficeret: tardus autem minus: ac ſępenumero periti tibicinis rudis euaderet filius: ſępe etiam inepti filius aptus.

Quæſtio XXXXI.

QVò pertineant eiuſdem Palladis ſub perſona Mentoris prolata verba.

Farinam hominum medullam.

Euſtathij in hunc locum interpretationem huc adſcripſiſſe ſat eſſe videtur.

Medullam virorum dicit farinam: pro eo quod eſt, quę medullam, robur, & nutriendi vim præſtat. Hoc autem dicit, propter eos, qui putant oſſa non recipere virtutem aliquam animalem, & vitalem è cibo. Hęc Euſtathius. Veteres quidquid ad victum pertineret ἄλφιτα hoc eſt, farinam, vocabant.

Eſt etiam ex Ariſtophane ſumtum adagium: *Nihil ad farinas.*

Quo ſignificatur inutile eſſe vel dictũ, vel factũ aliquod: vnde nihil ſuppetat ad vitę commoditatem.

Quæſtio XLII.

NEſtor videtur arguere Telemachum vecordiæ, animiq; puſilli, vel ſubobſcurè notare vt improbum, qui matris contumeliam diſſimulanter ferat: cum ita loquitur:

Dic mihi lubensne victus es, an te ciues odio habent, publicè oraculum Dei ſequentes?

Videns enim procos liberè, & impunè graſſantes in ædibus ipſius: facultates per vim, & ignominiam profundentes: matri eius ſtruentes inſidias, ipſum etiam contumelia afficientes, fieri non poterat, quin aliquid ſubeſſe doli

ſuſpi-

ſuſpicaretur. Quòd ſi obſiſtere illis non audebat, id erat vecordię animiq; degeneris: ſin de induſtria frigidè ac remiſsè agebat in re tanta, vbi de pudicitia matris, adeoq; de fama totius familiæ agebatur, ſuſcipionem incurrere poterat conſpiraſſe cum procis, & regiam maieſtatem paruipendere.

An illud ei patrocinari poſſit, quòd & adoleſcentulus eſſet, atq; ſolus, per ætatem imbellem non licebat: vnum cum multis congredi, temeritatis erat.

Euſtathius, Neſtori, inquit, cum mirum videretur, quòd proci Penelopes tantum mali molirentur, inuito Telemacho: quęrit hoc modo: Dic mihi, lubens ne perfers iſta? an verò populi ſequentes oraculum, te oderunt? plerumq; enim reges eijcere regno, & ab illis deſciſcere populi ſolent, interueniente oraculo. Hæc ille.

Quæſt. XLIII. & vltima.

MAgni atq; admirandi quippiam, non ſanè per oſcitantiam prętereundum, latitare videtur, ſub illa deſcriptione portus, cuius in vertice oliuam paſsis ramis, vicinum illi antrum eſſe ſcribit Homerus. Antrum ipſum

varijs,ac pugnantibus inter ſe, ornat epithetis. Ait enim ἐπήρατον, hoc eſt, amœnum, & optabile: ἠεροειδὲς; id eſt atrum ac tenebroſum. In eo Naiades collocat nymphas, lintea purpurea, telas lapideas texentes: Crateres ibi, & amphoras lapideas, apes, aquas perennes, portas duas eſſe fingit: alteram ad Boream ſpectare, hominibusq; peruiam, alteram ad Notum Dijs immortalibus ſacram. Mihi venit in mentem dicere cum Porphyrio. Quis credat Deas in telis lapideis purpureas texere veſtes, idq; in antro obſcuro? Eò magis, ſi quis dicat ea cerni poſſe.

Cælius Rhodiginus ant. lect. lib. 12. ſic ſcribit; Illud verò haud negligendũ, oleam ab Homero fingi antro applantatam Ithacenſi: quod typum habere mundi, ſapientiſsimis eſt viſum. Quòd moles hęc vniuerſa, diuinæ ſit germen prouidentiæ: cuius creditur ſymbolum olea, quam Palladi conſecrarunt veteres: quæ ipſa eſt prouidentia. Hinc theologica ſagacitas, plantam in portus capite ſtare ſurrectam, virentemq; perpetuò commẽta eſt. Hæc Cælius Rhodiginus.

Huc pertinere puto, quod Plato in dial. 7. de repub. ſcribit; Finge, ait, animo ſubterraneum, ſpecus inſtar, domicilium, cuius ingreſſus longiſsimus verſus lumen, in antrum totum pateat, &c. Quod idem ad mundi machinã referendum eſſe docet.

In

In quem locum, inter alia, Marſilius Ficinus hęc ſcribit. Tu verò, inquit, vbi Plato in erudiendo diuino philoſopho, imaginem proponit ſpeluncæ, & vinculorum, &c. intellige hunc, quem videmus, mundum, ſi ad mundum inuiſibilem comparetur. Et plura addit, quę tibi ipſe tradere lector poteris.

Macrobius libro 1. in ſomni: Scipionis, Deſcenſus, ait, ipſius, quo anima de cęlo in huius vitæ inferna delabitur, ſic ordo digeritur: Zodiacum ita lacteus circulus oblique circumflexionis occurſu ambiendo amplectitur, vt eum, quà duo tropica ſigna Capricornus, & Cancer feruntur, interſecet. Has Solis portas phyſici vocauerunt: quia in vtraq; obuiante ſolſtitio, vlterius ſolis inhibetur acceſsio: & fit ei regreſſus ad Zonæ viam, cuius terminos nunquam relinquit. Per has portas animę de cęlo in terras meare, & de terris in cælum remeare creduntur. Ideo hominum vna, altera Deorum vocatur Hominum Cancer: quia per hunc in inferiora deſcenſus eſt. Capricornus Deorum: quia per illum animę in propriæ immortalitatis ſedem, & in Deorum numerum reuertuntur. Et hoc eſt, quod Homeri diuina prouidentia in antri Ithacenſis deſcriptione ſignificat. Hactenus Macrobius.

Euſtathius in commentarijs, hæc adfert: Ficta ſunt hęc, vt aiunt priſci: Propterea etiam

Porphyrius totum hoc antrum transformat di-
cens, antrum iſtud, & ſpeluncam mundo pla-
nè dicatam. Multa etiam de eo ſcribit. Nem-
pe mundum eſſe quaſi antrum quoddam ma-
ximum: quod quidem tenebroſum dicatur:
propter primigenię materię deformem fœdi-
tatem: amœnum verò, & optabile: propter
formæ eius diſpoſitionem, & ornatum. Vnde
etiam κόσμος, hoc eſt, ornatus, dictus eſt Græ-
cè. Secus enim, quo pacto idem ſimul atrum,
obſcurũ, & amœnum atq; optabile eſſe queat?
Tenebroſum enim, & atrũ, formidabile potius
eſt, & horrendum, quam amabile, & ex-
petendum. Nymphas autem Naiades, per
allegoriam, vocat animas generationem ingre-
dientes: quibus, quaſi crateres quoſdam, &
amphoras addit fabula, corpora humana; &
quidem ipſa è terra: crateres etiam è terra
cocta. Telę autem à Nymphis textę, σαρκοποιΐα,
hoc eſt, (vt ſic dicam) incarnatio in oſsibus,
quemadmodum in ſtaminibus. Ea viſu admi-
rabilis dicitur, propter diuinam quandam na-
turę texturam. Mellis autem operatio, & ipſa
animorum eſt propria, propter multam ac va-
riam mellis vim atq; naturam. Guſtu enim
dulce eſt, & ab apibus è floribus collectum:
apum verò appellatione animas iuſtè viuentes
intellige comprehendi, quę ad res diuinas per
quandam purgationem conuertuntur. Vocan-
tur

tur etiam apes, ab eo, quod, & purgandi vim mel habet, ſimul, & conſeruandi. Vulnera enim vetera melle purgantur. Præterea melle multa ſeruantur incorrupta. Ita philoſophus Homericus melli diu immoratus, quaſi per tenebras ambulans, easq; explorans, coniectura quadam ductus, portas illas duas ait eſſe Cancrum, & Capricornum, ſigna cæleſtia: per quarum alteram, quæ Capricorno tribuitur, quidam exiſtimarunt animas aſcendere: quæ Cançro, per eam deſcendere. Itaq; Cancrum ſeptentrionalem deſcenſum: Capricornum verò aſcenſum animarum ad Deos auſtralem ſunt interpretati: atq; ideo eſſe diuiniores. Huiuſmodi multa de antri elegantia quibuſdam nugis tecta loquitur fabula. Hactenus Euſtathius.

Sed ne quid deſideretur, paucula quædam ex ipſo Porphyrio adſcribam. Inter alia multa hæc ſcribit: Lintea verò porphyrea, procul dubio caro eſt ex ſanguine concreta. Ex ſanguine enim purpurea lana, ea ex animalibus tincta, per ſanguinem: ex ſanguine caro gignitur. Tunica verò, & quaſi amictus, quo induitur anima, corpus eſt.

FINIS.

Allegoriæ in Homeri Batrachomyomachiam.

IN HOMERI

Batrachomyomachiam

προλεγόμενα.

HOMINES ruſticos, loquaces, & maleuolos, Latonæ imprecationibus aliquando fuiſſe commutatos in ranas, legimus in fabulis: Dicuntur enim ranę cõuiciatricẽ quandam & agreſtem præſeferre aſperitatem, moroſæq; garrulitatis habere ſymbolum. Coniectę in fontes frigidiores obmuteſcere, translatę in tepidiorem paludem, vocales fieri creduntur. Quod ſi ita eſt, non longè abierit à probabili commẽto, ſi quis homines imperitos impudenter audaces, & audacter impudentes, Ciceroni amẽtes audaces, ranas appellet: Quòd, tamquam ranæ, inter vulgus amuſum (ſic dicam) confidenter blaterent: coram viris bonis, ſint magis muti, quam piſces. Aegyptiorum ſacerdotes per ranam, hominem notabãt inuerecundum, ebrioſum, mulieroſum; qui neq; libidini, neq; gulę modum faceret.

Mures verò, quia familiari ſupellectile corrumpenda, multũ adferunt detrimenti, dieſq; ac noctes ſemper aliquid rodũt: & quæ rodunt, inquinant

inquinant. Propterea prçcipuū eorū ſignificatū hieroglyphicū voluerūt Aegyptij, vt detrimentū & proditionē notarent. Grçcis dicūtur *μῦες*, à *μύω*, quemadmodum Euſtathius notat in Homerum: quod verbum ſignificat, occulto, abſcondo, contraho, claudo. Quorum verborum ſignificata in fraudulētos homines ſponte cadere videntur. Hinc ſumta occaſione, quemadmodum Homerus animantium moribus cōuenientia finxit nomina: Ego vtriuſq; generis, murium, ſcilicet, atq; ranarum intuitus naturam, Homerumq; nihil temerè ſcripſiſſe ratus, quaſi pictor ethicus, ipſorum nominum rationem, moribus hominum, ſine autore, & ſine exemplo applicare auſus ſum. Quòd ſi quis crimini mihi dare velit, atq; huic meo commento neget inter prouerbia vel dicteria locum deberi: is hanc primum mihi veniam dabit, vt culpam (ſi qua admiſſa) deprecari liceat: tum etiam nouerit, non me perpetuò aſſerere, prouerbia eſſe, aut prouerbiorum loco vſurpata: Sed quod ſpeciem prouerbiorum, vel potius dicteriorum induere poſsint, ſi in loco adhibeantur.

XX.

NOMINA

RANARVM.

Phyſignathus. Ideſt, *bucas inflans, buccas inflatas habens.*
Hydromeduſa. Ideſt, *aqua imperans, aquarum regina.*
Limnocharis. I. *palude gaudens.*
Peleon. I. *lutoſus.*
Seutlęus. I. *betoſus.*
Polyphonus. I. *multiſonus, clamoſus.*
Crambophag⁹. I. *edens braſſicas.*
Limneſius. I. *paluſtris, paludoſus.*
Hydrocharis. I. *aqua gaudens.*
Borborocœtes. I. *in luto ſeu cœno iacens.*
Praſsiphagus. I. *porrinorus.*
Pelobates. I. *per lutum ambulans.*
Craugaſides. I. *vociferator.*
Praſſæus. I. *porraceus.*
Calaminthius. I. *arundineus.*
Hypſiboas. I. *altè vociferans.*
Peluſius. I. *cœnoſus.*

ALLE

ALLEGORIAE RANARVM.

Phyſignathus.

Obſcuris genitus, ſeries obſcura parentum,
Tollere ſi criſtas, pulmone, & rũpere ventũ
Tentat; Mæonio inſigni Phyſignathus eſto.

Hydromeduſa.

At ſi potorem ſale vis adſpergere nigro:
Illius nomen mutabis in Hydromeduſam,
Sin minus hunc: quiſquis vili dominatur agello.

Limnocharis.

In ganeis atq; in luſtris, cui viuere dulce:
Latrat & obſceno ſemper, qui turpia rictu:
Limnocharin meritò concordi nomine dices.

Peleon.

Cui mens haud potis eſt, ad honeſtum ducier vllum:
Halat & impuro, qui turpia, pectore, verba:
Peleon fuerit, lutulenti nomine porci.

Seutlæus.

At Seutlæus iners, ſtupidus, ſermoneq; vanus:
Nulla vbi mica ſalis videatur corpore toto:
Appoſitum à fatuis ſibi betis nomen habeto.

Poly-

Polyphonus.

Garrula cui lingua eſt & ſpes, in voce, triumphis
Quiq; aures magno blaterans clamore fatigat:
Is Polyphonus erit, vanas imitando loquaces.

Crambophagus.

Saua domus quem paupertas, cui braſſica victus:
Cui ſiliqua, poſituniq; olus eſt algente catino:
Crambophagus fuerit, quadranti nomine rebus.

Limneſius.

Improbus & cęca mentis caligine merſus,
Turpia qui ſequitur, neglecto numine Diuum:
Is Peleoni ſimilis, Limneſius eſto.

Hydrocharis.

Cõuenit Hydrocharin mirè inter & Hydromeduſã:
Perniciem vini comprendo nomine vtroq;
Eſt quia vterq; bibax; ſitis atq; anatina vtriuſq;

Borborocœtes.

De grege porcorum, cœno contentus auito.
Sordibus in patrijs ſecurus, ſplendida temnens;
Gentiliq; luto fixus, ſit Borborocœtes.

Praſsiphagus.

Praſſiphagum dico, qui vili natus in alga:
Et cui cepa famem domat, & cui ſectile porrum:
Crambophago iunctus lecto teneatur eodem.

Pelobates.

Quem nullus ſplendor, non vrbani comitatus,
Inclyta non virtus iuuat, aut monimenta virorũ:
Pelobates erit hic: ſequitur quia peſſima quæq;.

Craugaſides.

Qui clamore ſtrepit, rabioſaq; iurgia nectit,
Voceq; veſana crebro qui perſonat aures:
Craugaſiden dico, cedat cui Daulia cornix.

Praſſæus.

Qui ſegnis, cui pectus iners, qui nullius vſus,
Ficulnus, vappa, aut nebulo, aut quid vilius iſtis:
Praſſæum vocito, porris nihilo meliorem.

Calaminthius.

Qui folijs leuior, vernaq; incertior aura,
Cuius & incerta eſt vanæ ſententia mentis,
Viribus infirmus, Calaminthius eſto vocanti.

Hypſiboas.

Craugaſidę Hypſiboas iunctus, ſimul & Poliphonus,
Altos quæ rumpant ſomnos, collegia vincent.

Peluſius.

Peleon, Peluſius, & Limneſius vnà,
Fœda, & ſpurca cohors temone regantur eodem:
Turpibus, incultis, lutulentis nomina danto.

NO-

NOMINA
MVRIVM.

Pſicharpax, I. *micas rapiens, raptor micarū*
Lichomyle, I. *lingens molas.*
Pternotroctes, I. *pernas comedens.*
Lichopinax, I. *lingens patinas.*
Tyroglyphus, I. *caſeū radens, caſei excauator.*
Embaſichytrus, I. *irrepens in ollas.*
Lichenor, I. *lingens, lingendo viuens.*
Troglodytes, I. *foramina ingrediens, cauernas habitans.*
Artophagus, I. *pane veſcens,*
Cniſſodioctes, I. *nidorem conſectans.*
Sitophagus, I. *eſculenta vorans.*
Artepibulus, I. *pani inſidians.*
Meridarpax, I. *particulas rapiens, particularum raptor.*
Troxartes, I. *panem edens.*
Pternoglyphus, I. *pernas cauans.*

Pelobates.

Quem nullus ſplendor, non vrbani comitatus,
Inclyta non virtus iuuat, aut monimenta virorũ:
Pelobates erit hic: ſequitur quia peſſima quæq;.

Craugaſides.

Qui clamore ſtrepit, rabioſaq; iurgia nectit:
Voceq; veſana crebro qui perſonat aures:
Craugaſiden dico, cedat cui Daulia cornix.

Praſſæus.

Qui ſegnis, cui pectus iners, qui nullius vſus,
Ficulnus, vappa, aut nebulo; aut quid vilius iſtis:
Praſſæum vocita, porris nihilo meliorem.

Calaminthius.

Qui folijs leuior, vernaq; incertior aura,
Cuius & incerta eſt vanæ ſententia mentis,
Viribus infirmus, Calaminthius eſto vocanti.

Hypſiboas.

Craugaſidę Hypſiboas iunctus, ſimul & Poliphonus,
Altos quæ rumpant ſomnos, collegia vincent.

Peluſius.

Peleon, Peluſius, & Limneſius vnà,
Fæda, & ſpurca cohors temone regantur eodem.
Turpibus, incultis, lutulentis nomina danto.

NO-

NOMINA
MVRIVM.

Pſicharpax ,	I. *micas rapiens,raptor micarũ*
Lichomyle ,	I. *lingens molas .*
Pternotroctes ,	I. *pernas comedens .*
Lichopinax ,	I. *lingens patinas .*
Tyroglyphus ,	I. *caſeũ radens , caſei excauator.*
Embaſichytrus ,	I. *irrepens in ollas .*
Lichenor ,	I. *lingens , lingendo viuens.*
Troglodytes ,	I. *foramina ingrediens , cauernas*
Artophagus ,	I. *pane veſcens,* (*habitans.*
Cniſſodioctes ,	I. *nidorem conſectans .*
Sitophagus ,	I. *eſculenta vorans .*
Artepibulus ,	I. *pani inſidians .*
Meridarpax ,	I. *particulas rapiens ,particula-*
Troxartes ,	I. *panem edens.* (*rum raptor.*
Pternoglyphus ,	I. *pernas cauans.*

MVRIVM ALLEGORIAE.

Pſicharpax.

P*Sicharpax, cuius votum inſaturabile habendi:*
Vilia qui ſequitur cupidus, ſectorq; cumini:
Quiq; cibum miſer exiguum petit ore tremente.

Lichomyle.

Si quem fortè penum mihi diripuiſſe iuuabit:
Atq; dolo, furtoue ſit attenuata ſupellex:
Siue illa vxor erit, ſeu natus, ſeu paraſitus:
Hoſtis erit laribus, quem Lichomylen vocitabo.

Pternotroctes.

Cui venter, quaſi ſcylla vorax, aut vaſta charybdis,
Cuius & ingluuiem pretium non impedit vllum:
Quiq; rogo cænas rapiat, ſic Pternotroctes.

Lichopinax.

Aſſentando dapes lautas, qui geſtit apiſci
Subdolus, auriculiſq; alienis colligit eſcam,
Lichopinax erit: aſſuetus quia lingere quadras.

Tyroglyphus.

Lichopinax, & Tyroglyphus, morboſus vterq;:
Centuria eſt eadem: eſt eademq; farina vtriuſq;:
Igni delicias medio rapturus vterq;.

Emba-

Embaſichytrus.

In tenebris reſerat poſtes, cui grata Lauerna,
Tectaq; Mercurio gnarum perrepere dextro,
Aſſuetum furto benè dixeris Embaſichytrum.

Lichenor.

Grandes qui ſequitur patinas, tucetaq; craſſa,
Aſſiduè ad luxum properans, & prandia regum,
Quem turdus, rhombuſq; iuuat, Lichenora dico:

Artophagus.

Artophagus ventrem ſequitur, ſatur atq; ſupinus
Serpit humi, treſſis, terræ eſt & inutile pondus.
Sola hac conditione vt edat, ſe viuere credens.

Troglodytes.

Furtiuis tenebræ manibus ſemper venerandę:
Inſidias ſtruxiſſe iuuat, ſub luce maligna.
Sint licet his tecta fraudes, tectæq; rapinæ:
Scommata non fugient: rugoſaq; ſanna parata.
Troglodyten dicam, ſi quis ſecreta frequentat.

Cniſſodioctes.

Qui ſequitur ventrem, & naſum nidore ſupinat;
Atq; oculis auidus conuiuia deuorat vncta;
Mancipiumq; gulæ, dicetur Cniſſodioctes.

Sitophagus.

Eſt & Sitophagus fruges conſumere natus,
Artophagi genio: ſeries vitę atra vtriuſq;

Lixarum vulgus vappam permeiat vtrumq;.

Artepibulus.

Naufragij tabulas ſi quis ſectatur amici,
Quem ſuadela docet fictas componere voces,
Peſtis amicitię: anne illotus abibit aceto
Mordaci logodædalus? Eia ſit Artepibulus.

Meridarpax.

Aſſecla menſarum, pingues qui linquere cœnas
Neſcit: vel modicus voti, pauper lare preſſo,
Particulas rapiens, Meridarpax iure vocetur.

Troxartes.

Artophago æqualis Troxartes, Sitophagoq;:
Cumq; illis meritò trutina ponendus eadem,
Bardus, hebes, niſi quando fames facit ingenioſũ.

Pternoglyphus.

Quem curata iuuat cutis, & quem glubere cenſus:
Iucunduſq; labor, qui ducit ad anſeris exta:
Pternoglyphus ſit, lurco vorax, barathrũq macelli.

Finis Allegoriarum.

MV-

ETYMOLOGIAE NOMINVM, ET ALLEGORIARVM Paraphraſis.

RANARVM

Phyſignathus ranarum rex.

A φυσάω; id eſt, inflo, tumefacio, flatu diſtendo: & γνάθος, ideſt, maxilla, gena. Quaſi φυσῶν τὰς γνάθους, Ideſt buccas inflans. Si quis dicterio perſtringere velit hominem ambitioſum, & elati animi, qui tenuis fortunę, abiectęq; conditionis, ſupra ſortem genusq; ſuum efferre ſe conetur: hoc nomen appoſitum erit, & quadrabit. Ductum ab Æſopica illa rana, quæ boui ęquare ſe volens, crepuit. De qua Cælius Rhodiginus ant. lect. ſic ſcribit: Ineſt perſępe homini parum perſpicaci, parumq; rerum perito, tanta animi caligo, ac cęcitas, vt ſui oblitus, nec domeſticæ, genuinęq; humilitatis memor, magna affectet nomina, inſeratque ſe argutis cygnis, anſer obſtreperus. In id genus homines, intra pelliculã minus ſe continentes, congruet

appoſitiſsimè prouerbium, quod de ranunculi negotio natum, ad vſum vſq; vitę proficit. Scita enim fabella eſt. Hęc Cęlius Narrat deinde fabulam, quam ego, vt notiſsimam, hic non adſcribo. Et paullò poſt, ſubdit veluti Ethicum quiddam: Ad horum tumorem reprimendũ, & inſtruendam leuitatem, nimio plus ſe efferentem, Ariſtophanio anthipharmaco nil commodius, quod eſt, Ἰδὲ σκύτη βλέπειν. Ideſt ſcuticam adſpicere. Malo, ſiquidem ſubigendi edocendiq;, ne quid ſupra crepidam, aut extra quam ſunt, tollant cornua: illiſq; ſurgant criſtæ. Hactenus Rhodiginus.

Hydromeduſa Regina aquarum.

AB ὕδωρ, ideſt aqua: & μέδω, impero, regno. Quaſi τοῦ ὕδατος μέδουσα. I. aquæ imperãs. Poterit ſpecie prouerbiali, in eum dici, eoq; tamquam ſale (quod aiunt) nigro adſpergi is, qui vel regioni dominatur exiguæ, ac vili, qui imperium habeat in homines abiectos. Vt occinatur illi, ꝙ Æolo Neptunus, apud Virgiliũ.

Illa ſe iactet in aula.

VEl, ſi hoc minus placet, in bibacem, qui inter ebrioſos tenet principatum. Quemadmodum inter Germanos, qui ſtrenua, & per

petua potatione alios vincit, illius nomen per cauponas ita celebratur, quaſi in præclaro certamine victoria potitus, egerit triumphum.

Limnocharis.

A Λίμνη, Ideſt, palus, lac^9: & χαίρω, I. gaudeo. Quaſi τῇ λίμνῃ χαίρων, I. palude gaudens. Quadrabit in hominem rebus addictum turpibus, qui ganea, & luſtra frequentans, nihil niſi blaſphemias, & verba eructat obſcena, qui tunc demum bellus ſibi videtur, & benè ſecum agi putat, cum turpiſsima quæq; dicere & facere poteſt. Qualem refert interpres Ariſtophanis in Pluto, nomine Ariſtyllum: quem αἰσχροποιὸν, Ideſt, turpitudinis artificem, & inuentorem vocat. Ab eo, quod ranæ in paludibus ſemper victitant, non in fontibus.

Peleon.

A Πηλὸς, Ideſt, cœnum, limus. Quaſi cœnoſus, limoſus. In hominem itidem moribus & lingua fœdum conueniens ſcomma: qui infamis & ignominioſus, nihil aliud ſtudet, niſi vt lutulentus ſus, cum quouis volutari: vt Cicero in Salluſtium: ſi modò germana, & non adulterina ſunt, quæ Ciceronis nomine circumferuntur in Salluſtium contumelioſa; &

& contra Saluſtij in Ciceronem. Quadrabit, inquam, in eum, qui, cum nihil habeat ornamenti, quod deperdat, ore perfricto, linguaq; petulante quemlibet conuicijs laceſſere non veretur. Semel in vniuerſum, qui totus à capite ad calces impurus eſt.

Seutlæus.

A Σεῦτλον, quod eſt, beta: quaſi betoſus. In hominem ſtupidum, & inertem, qui nulli ſit vſui. Beta enim, cui colore ſimilis eſt rana, Plinio teſte, leuiſsima hortenſiorum (vt eiuſdem Plinij vocabulo vtar) eſt. Hanc item Martialis fatuam vocat hoc diſticho:

Vt ſapiant fatuæ, Fabiorum prandia, betæ.
O quàm ſępe petet vina piperq; coquus.

Seutlæum etiam falsè dicemus eum, cuius oratio nec caput, nec pedes habet: quemadmodum Cato aliquando in orationē inelegantē, in qua neq; lepos, neq; genius vllus. Conueniet etiam in conſilia inepta, & abſurda: quæ cum ꝓpoſita ſunt, magnū frigus cōſequi ſolet.

Polyphonus.

A Πολὺ, Ideſt, multum, valde: & φωνέω, Ideſt, clamo, vocē edo: Quaſi πολυφωνῶν, Ideſt, multiſonus, multum ac vehementer ſonans,

clamoſus. Dicterium in eum appoſitum, qui moroſa garrulitate & vociferatione ſtrepit: qui ad nauſeam vſq; aures complet auditorum. A ranarum coaxatione, atq; ololygone, hoc eſt, vlulatu; quem ranarum mares edunt intra aquam, vt tradit Ariſtoteles: quo fœminas ad coitum cient, demiſſo pari libra maxillæ inferioris labro, cum aqua modicè in fauces recepta, ſuperioreq; intenta. Vocem amatoriam vocat Plutarchus: libidinoſam ac Veneream fortaſſe concinnius. Sic enim ἐρωτικὴν, hoc loco exponere libet: vt laſciuam potius, quam amatoriam ſimpliciter intelligas.

Crambophagus.

A κράμβη, Ideſt, braſsica: qua dictione Ariſtoteles raphanum, Heſychius & raphanũ & reliqua olera ſignificari ſcribit: & φάγω, Ideſt, edo. Quaſi τὴν κράμβην φάγων, Ideſt, braſſicas edens, oleribus victitans. Commodè poterit vſurpari in hominem pauperculum, quẽ tenui victu iubet eſſe contentum rei familiaris anguſtia. Vel in hominem abiectæ conditionis. Vel etiam in pręparcum, & ſordidum, qui partis *abſtinet & timet vti*, vt eſt apud Horatium: qui metuens, ne vilem redigatur ad aſſem, noctesq; dieſq; congeſtus aceru', cibum ſibi deligit minimo parabilem.

Limneſius.

A Λίμνη, Ideſt, palus, ſtagnum, lacuna: Quaſi paluſtris. Itidem quadrabit in ſordidum, mundiciei, & elegantiæ oſorem, agreſtem & ruſticum, á ciuili conſuetudine alienum. Similima ratio Pelei.

Hydrocharis.

AB ὕδωρ, Ideſt, aqua: & χαίρω, Ideſt, gaudeo. Quaſi τῷ ὕδατι χαίρων, Ideſt, aqua vel humore gaudens. Conueniet, & hoc nomen in bibaces. Quales Germani, quos Itali anates appellant: quód, quemadmodum anates, roſtrum ſemper habent aquis immerſum; ſic Germani ora ſemper habent vino madida. De huiuſmodi hominibus legitur verſus apud Athenæum:

Οἳ πίνουσι μόνον βατράχων τρόπον οὐδὲν ἔδοντες,
Ideſt, qui bibunt tantum ranarum more nihil edentes.

Huc pertinere arbitror etiam illud Theocriti; qui vitam ait ranarum eſſe optabilem: quippe quæ non metuant, ne pereant ſiti, cum ſatis abundè ſuppetat aqua.

Borbo-

Borborocoetes.

ABόρβορος, Ideſt, coenum, lutum, cloaca, ſordes: & κοίτη, Ideſt, cubile, concubitus: vel κοῖτος, Ideſt, ſomnus: vel κοιμάω, Ideſt dormio. Quaſi ἐν βορβόρῳ τὴν κοίτην ἔχων, Ideſt, in luto, & ſordibus cubile habens. Ariſtophanes λιμναῖα κρηνῶν τέκνα. I. paludoſos fontium filios ranas appellat. Lepidiſsimè torquebitur in eum, in quem illud Italicæ plebis vernaculum, *la rana naſciuta nel fango, difficilmente ſi leua da quello.* Quorum verborum ſenſus allegoricus, tamquam ſcomma, pertinet ad infamiam illius, qui impuro & flagitioſo genere natus non degenerat, neq; in improbitate gentilitia conquieſcit, ſed vt turpitudine maiores ſuos vincere poſsit, omni opera & ſtudio contendit, nihil ſollicitus de rebus honeſtioribus. Cui conuenit illud Charionis apud Ariſtophanem ἕπεσθε μητρὶ χοῖροι. I. Sequimini matrē porci. Quem locum Ariſtophanis interpres de ſceleroſis intelligendum eſſe docet, qui parentibus nati flagitioſis, maiorum ſuorum veſtigijs inſiſtentes, ſcelera ſceleribus cumulant.

Praſsiphagus.

AΠράσον. Ideſt, porrum epentheſi τοῦ Σ: & φάγω, veſcor. Quaſi τὸ πράσον φάγων, Ideſt, porriuorus, porrum comedens, porris victitās.

Eiuſdē

eiuſdem poterit eſſe rationis, cum Crambophago. Vt, ſcilicet, quadret in pauperculum, vel ruſticum, de grege illorum, de quibus Horatius: *O dura meſſorum ilia.*

Pelobates.

A πηλός, Ideſt, lutum: βατέω, Ideſt, vado, quod tamen verbum Græcis parum eſt vſitatum. Quaſi ἀνὰ πηλὸν βατῶν, Ideſt, per lutum ambulans. Poterit vſurpari in eum, qui vel cum improbis conſuetudinem habet, vel qui poſtremę conditionis ſcriptores parum elegantes ſibi elegit ad imitandum, eorum monimenta lectitat, manibuſq; terit. Purum enim, & impurum epitheta ſermonis vſitatiſsima.

Craugaſides.

A κραυγή, Ideſt, clamor, κραυγάζω, Ideſt, clamo, vociferor. Quaſi vociferator, clamoſus. Conueniet in hominem litigioſum, rixoſum, cui facilè fit, quod doleat: qui vel ob rem minimam, maximas excitat turbas.

Praſſaus.

ITidem à πράσον geminato σσ, quod porrum ſignificat. Quaſi dicas porraceum. In hominem

minem nihili, contemtum & abiectum, quemadmodum dicimus hominem ficulnum, qui nihil præſtare poteſt: & ficulnum auxilium, quod nihil prodeſt. Πράσον Theophraſto etiam ſignificat algam. Sic ſimillimum erit illi Horatiano. Virtus ſine re vilior alga eſt.

Calaminthius.

A Κάλαμος, Ideſt, arundo, calamus. Quaſi arundineus. In hominem vel imbecillē, vel leuem & inconſtantem. Qui aliud ſtans, aliud ſedens loquitur & ſentit. Quod Ciceroni obiectum legimus. Hic non videtur prætereundum, quod de ranis Aegyptijs ſcribit Aelianus, lib. 1. var. hiſt. licet diuerſum ab eo, quod ego hoc loco intendo: Si (inquit) in hydrum incidat rana, ſubditò demordet fruſtum arundinis, & id obliquum gerens fortiterq; tenens, non remittit, pro virili parte: Ille verò ranam cum arundine ſimul deglutire non poteſt. Non enim tantæ amplitudinis os habet, quantum arundo extenditur. Atq; ita ranæ prudentia vincunt & ſuperant robur hydri. Secundum hanc rationem, prudentiæ ſymbolum haberet arundinem ore tenens rana. Sed hic nihil loci eam habere placet.

Hypſi-

Hypſiboas.

B ὕψος, Ideſt, altitudo: & βοάω, Ideſt, clamo. Quaſi ὕψου βοῶν, Ideſt, altè vociferans. Commodiſsimè dici poterit de eo, qui plus ſpei in vociferatione, quam in cauſſæ honeſtate poſitum habet prçſidij: Vel etiam in ebrioſos. Ariſtophanes ranarum coaxationes & clamores, πολυκόλυμβα μέλη Ideſt, natabiles melodias vocat. Cum ranis autem quid habere commune ebrios, lepidiſsimè videtur oſtendere idem Ariſtophanes in ranis: idq; hiſce verſibus.

Φθεγξώμεθ' εὐγήρυν ἐμὰν ἀοιδάν,
  Κοάξ, Κοάξ,
ἣν ἀμφὶ νυσήιον Διὸς
Διόνυσον ἐν λίμναισιν ἰαχήσαμεν.
Ηνίχ' ὁ κραιπαλόκωμος
Τοῖς ἱεροῖσι χύτροισιν,
Χωρεῖ κατ' ἐμὸν τέμενος λαῶν ὄχλος. Ideſt.

Canamus ſonoram meam cantilenam,
  Coax, Coax,
Quam circum nyſeium Iouis
Bacchum in paludibus cecinimus:
  Quando ebrius
  Sacris ollis

Pro-

Procedit in meum templum populorum turba.
In quem locum interpres:
κραιπαλόκωμος, κατὰ μετωνυμίαν, ὁ κατὰ μέθην γινόμενος ὕμνος. I. Hymnus in laudẽ ebrietatis, ꝑ Metonymiam dictus, crępalocomos. Eſt enim κραιπάλη crapula, capitis lucta, fluctus & agitatio, quando ex vinolentia caput tremit. Κῶμος autem inter alia, ebrietatis, & intemperantiæ feſtum. Qualia nobis bacchanalia, quæ ſub ineuntes, vere nouo, eſuriales ferias celebramus.

Peluſius.

Α Πηλὸς. I. cœnum, argilla, creta figuralis. Quaſi cœnoſus. Et hoc nomen δεικτικῶς quadrabit in hominem rebus addictum terrestribus. Diuus Hieron. πηλουσιάτας peluſiatas vocari ait, qui in limo corporis huius conſtituti, cæleſtia ſentire non poſſunt. Ariſtophanes omnes homines appellat πηλοῦ πλάσματα. I. figmenta luti, è limo figmẽta, vel plaſmata. Neq; hic prętereundum, quod Iones per πηλὸν vinum intelligunt. Vnde etiã κάπηλον, vocant Græci cauponẽ, qui vinum vendit. Hac ratione quadrabit in vinolentum & ebrioſum.

MV-

MVRIVM

Pſicharpax.

Ψίξ, vel ψίχα, Ideſt, mica: & ἅρπαξ, I. raptor, ſeu rapax. Quaſi τῶν ψιχῶν ἅρπαξ, Ideſt, micarum raptor. Vel τὰς ψίχας ἁρπάζων, Ideſt, micas rapiens. Si placuerit huius litteraturæ peritis, dicterij loco poterit vſurpari, vel in auarum & ſordidum: quem cumini ſectorē vocant paroemiographi. In quem iactari ſolet illud Italorum vulgare: *Egli ſcorticarebbe vn pedocchio, per vendere la pelle.* Qui ex rebus minimis quærere compendia ſolent. Qualis Imperator ille Romanus, qui etiam è lotio redire ſibi cenſum volebat: cuius hæc illa infamis ſententia: *Lucri bonus odor, ex re qualibet.* Conueniet etiam in pauperculum, qui magna, & ſplendida deſperans, minima ſectatur.

Lichomyle.

Λείχω, Ideſt, lingo: & μύλη, Ideſt, mola. Quaſi λείχων τὰς μύλας, Ideſt, lingens molas. Quadrabit in eum, qui per inſidias, fraulenter, ac paullatim labefactat rem familiarem: qui abſumit & compilat ærarium: hirudines

dines ærarij. Quales ſunt ſerui & non rarò impij ac ſcelerati filij: tum etiam mulieres, quæ propter faſtum, profundunt, & clandeſtinis venditionibus diſtrahunt, quę ſummo labore, dies noctesq; vigilando congeſſerunt mariti.

Pternotroctes.

A Πτέρνα, I. perna:& Τρώγω, Id eſt, edo. Quaſi Τὰς πτέρνας τρώγων, I. pernas comedens. Et hoc quadrabit in perniciem penuarij, in guloſum. Quod ex ipſis verbis eſt colligere, quæ ei tribuit Homerus. Non me latent, quęcumq; ad conuiuia faciunt coqui, ornantes ollas, condimentis varijs. Hos Diogenes appellat *barathrum macelli*. Horatius *gulam harpyis dignam*.

Lichopinax.

ITidem à λείχω, Id eſt, lingo: & πίναξ, Ideſt, diſcus, ſcutella. Quaſi λείχων τοὺς πίνακας, I. lingens paropſides. Quadrat in ſycophantam, aſſentatorem & nebulonem: qui aulas principum conſectans, patinis lingendis vitam tolerat. Hunc Germani ſua lingua vocant, *Deller leccker*. Itali, *ſpazza piatto*, *lecca tondo*. Talem Plautus in Trinummo deſcribit his verbis: *blandiloquentulus*, *harpago*, *mendax*, *cupes*, *auarus*. Quod verò attinet

ad lingendum & lambendum, Ariſtoteles in fine lib. 6. de natura animal. de muribus, ſic ſcribit: Sunt qui vehementer confirment, mures, ſi ſalem lambant, impleri ſine coitu.

Tyroglyphus.

A Τυρὸς, Ideſt, caſeus: & γλύφω, ſcalpo, rodo. Quaſi τὸν τύρον γλύφων, Ideſt, caſeum radens, caſei excauator. Hoc etiam in hominem gulæ mancipium conueniet.

Embaſichytrus.

AB ἐμβαίνω, Ideſt, ingredior: & χύτρα, ſeu χύτρον, Ideſt, olla. Quaſi ἐμβαίνων εἰς τὰς χύτρας, in ollas ingrediens, irrepens. Dicteriũ in eum, qui dextro Mercurio, propitiaq; Lauerna, res alienas manibus ſubducit furtiuis: in furem audacem & exercitatum, qui facilè ingreditur in quælibet loca, & ſi benè occluſa. Vel, ſi quis malit, in edacem, qui oculis deuorat opſonia. Cui, vt ait Iuuenalis,

In ſolo viuendi cauſſa palato eſt.

Lichenor.

EIuſdem rationis cum Lichopinax: Dicitur enim à lingendo. Quadrabit ſimiliter in paraſi

paraſitum, menſarum aſſeclam,& heluonem impurum, Epicuri de grege porcum. Quem, vt eſt apud Statium,

noſſe iuuat, quid Phaſidis ales Diſtet ab hyberna Rhodopes grue, quis magis anſer Exta ferat.

Troglodytes.

A Τρώγλη, Ideſt,foramen,cauerna: & δύω, I. ingredior. Quaſi εἰς τρώγλας δύων,foramina ingrediens,cauernas habitans. Lepidiſsi mum erit dicterium in maleficos, qui lucem peroſi,interdiu latitant: noctu prodeunt:quod tempus furtis & rapinis idoneũ. Porrò quòd mures habeant fraudis & aſtutię ſymbolum, patet apud Plautum: apud quem ſic legitur, in Truculento:

ſed tamen cogitato, mus Puſillus,quam ſit ſapiens beſtia, ętatem qui vni cubili

Numquam committit ſuam. Quia ſi obſideatur vnum, aliunde præſidium

Gerit.

Quin etiam prouerbium eſt tritiſsimum: *Mus non vni fidit antro*. Vtitur etiam hac dictione Ariſtoteles lib. 4. de partibus animalium, τρωγλόδυτα, Ideſt,cauernas ſubeũtia. Et lib. 9. animal. τρωγλοδυτεῖ, Ideſt, latibula petit.

Artophagus.

AB ἄρτος, Id eſt, panis: & φάγω. Ideſt, edo: Quaſi τὸν ἄρτον φάγων, Id eſt, pane veſcēs. Quadrabit in edacem, & terræ inutile pondus: in hominem nihili, ex eorum centuria, de quibus Horatius.

Nos numerus ſumus, & fruges conſumere nati.

Cniſſodioctes.

A κνίσσα, vel κνίσα, Id eſt, nidor, carnium vſtura, res incitans appetitum: & διώκω, I. conſector, quęro. Quaſi τὴν κνίσσαν διώκων, Id eſt, nidorem inſequens. In ganeonem, quem gula ducit: qui, vt eſt apud Horatium, *pauone malit, quam gallina tergere palatum*. Ad quem illud pertinet Iuuenalis:

Te putat ille ſuæ captum nidore culinæ.

Huiuſmodi homines Athenæus ait, κνισσοκόλακας, & κνισολοίχους appellari: quòd ob nidorem culinæ adulentur, & quaſi nidorem liguriant.

Sitophagus.

A σῖτος, Id eſt, frumentum, vel σῖτον, Id eſt, cibus: & φάγω, quod ſemel atq; iterum expoſitum eſt. Quaſi σῖτον φάγων, Id eſt, eſculenta

ta vorans. Scomma poterit eſſe in uitæ Charybdin, hoc eſt, in eum, quem Græci παμφάγον. I. omniuorum appellant: qui ſemper eſurit. Vel eiuſdem rationis cum Artophago.

Artepibulus.

AB ἄρτος, I. panis: & ἐπίβουλος, I. inſidiator, inſidioſus. ἐπιβουλὴ, I. inſidia. ἐπιβουλεύω I. molior inſidias, ſecreta conſilia agito: de inuadēdo conſulto. Quaſi τῷ ἄρτῳ ἐπιβουλεύων, Id eſt, pani inſidians. Venuſtiſsimum fuerit ſcomma in eum, qui compoſitis arte verbis blanditur alicui, non quòd illi ſit amicus, aut quod bene conſultum ei cupiat: Sed quod vel loculis, vel penuario ſtruat inſidias. De quibus vulgaris hęc eſt Italorum ſententia: *Chi mi carezza più che ſuole, m'hà ingannato, ouer ingannar mi vuole.* Vel ad hunc modum: *Egli mi fa carezze non ſenza cauſa, qualche coſa da me vuole.* Vel commodiſsimè in mendicos inſignes, qui mendicitatis periti, nullam prętermittunt hypocriſin, vt ſtipem eliciant. Quorum alij brachia faſcibus inuoluta ſimulāt mutila: alij ereptam & pręciſam mentientes linguam, hians oſtentāt palatum, vt lingua artificiosè occulta nulli cernatur: Alij oculorum palpebris ingeniosè inuerſis & contortis, cæcitatem præferunt. Hos Itali vocant *Pitocchi*, nomen à Græcis mutuatis

quibus Πειθὼ idem eſt, quod perſuaſio. Erat etiam Ethnicis Deæ nomen, quam dicendi prę ſidem credebant. Hæc Ennio *Suada*, Horatio *Suadela*, Ciceroni *Lepos*, Quintiliano *perſuadendi Dea* dicitur. Eandem etiam Ψυχάγωγον, Ideſt, *flexanimam* appellant. Hinc apparet, quam apposité in noſtræ ętatis mendicos quadret Epibuli nomen: qui nihil non comminiſcuntur, quo videantur miſerabiles: atq; ea omnia ad lares noſtros emungendos pertinent commenta.

Meridarpax.

Α μερὶς, Ideſt, particula: & ἁρπάζω, Ideſt, rapio. Quaſi τὰς μερίδας ἁρπάζων, Ideſt, particulas rapiens. Etiam hoc in eum conueniet, qui vel paupertatis, vel aſſentationis cauſſa, minima & abiectiſsima queq; colligit. Vel etiam in auarum, quem *cumini ſectorem* dici ſupra monuimus. Qui ne voluptatem quidem, niſi per tranſennam, ex opibus ſentit: vt inquit Budæus, libro 5. de aſſe. Nam vt hians (ſic Budęus loquitur) auaritia ingentia lucra cum ſumma deuorat voluptate: ſic raptim deuoratorum ſaliua nunquam in os recurſat, vt cibus etiam ſuauiſsimus in ingluuiem tranſmiſſus inexplebilem, nullo delectat edentem reguſtatu. Hęc Budęus: quę adſcribere volui, tum propter

grauitatem ſententiarum, dicendiq; genus ſingulare illius, quod me prę ceteris omnibus iam inde à prima ętate mirificè delectauit: tum etiã quod capitali quodam odio ab iſtis harpyjs diſsidentem me fecit natura.

Troxartes.

Vel à τρώγω, Ideſt, edo: & ἄρτος, Ideſt, panis: vt ſit eiuſdem rationis cum Artophago. Vel lepidius, à τρώκτης, Ideſt, ingenioſus, aſtutus, veterator. Sic quadrabit in eum, quẽ fames & gula facit ingenioſum & callidum. Qui ea dexteritate victum ſibi parat, & è manibus atq; loculis aliorum elicit nummos, vt neq; furtum appareat, neque mendicitas.

Pternoglyphus.

A πτέρνα, Ideſt, perna: & γλύφω, Ideſt, ſculpo, excauo. Quaſi τὴν πτέρναν γλύφων, Ideſt, pernam cauans. Itidem in eum, qui nullum genus laboris ſubterfugit, vt perueniat ad dapes. In deliciarum ſectatorem: qui plus ſapit palato, quam corde.

Finis Paraphraſeos.

PROBLEMATA VARIA.

PROBLEMATA
VARIA.

I.

INquirere libet in Grę corum pronunciationem, retineatne veſtigia & conſuetudinem priſcorum, an verò prorſus ab illis degenerauerit. Tum vtram amplecti debeant, Grę carum litterarum ſtudioſi: priſcamne, an eam, quam recentiores probant Græci. Ambigitur, rectene ſentiant, qui β, ſecundam litteram enunciant vt *u*, Latinorum, quando vim conſonantis habet initio dictionis alicuius. Tum η, valeatne, *i*, noſtrum, an *e*. Deinde diphtongi, αι, ει, οι, ου, debeantne proferri, vt, *æ*, *i*, *i*, *u*, quemadmodum affirmant recentiores. Non enim rectè hoc modo appellari diphthongi videntur, cum duplicem ſonum non habeant, quod ipſa dictio ſignificat. Ad hæc, ſi οι, ει, η, ιυ, υι, eum-

dem

dem ſonum habeant; bone Deus, quantam ἀμφιλογίαν pariturus eſt ille polyiotacismus; quam perplexum reddet auditorem pronunciatio iſta. Hac item pronunciatione conceſſa, videndum quomodo illud Ariſtophanis in Pluto ſit interpretandum.

ἐπαναβοῶντες
Βληχώμενοί τε προβατίων
Αἰγῶν τε κιναβρώντων μέλη. Id eſt,

Acclamantes
Balantesq; ouium
Caprarumq; fœtentium cantilenas.

Vbi Poeta dictione Βληχώμενοι balatum ouium ὀνοματοποιητικῶς imitari voluit. In quem locum, interpres: Βληχᾶσθαι γὰρ τὸ τὰ πρόβατα ποιᾷ φωνῇ χρῆσθαι. Hoc eſt, *Balare*, quali voce oues vtuntur. Quod Theocritus etiam de capris ſcribit, quemadmodum hic Ariſtophanes. Si igitur, *β*, vt dixi, valet, *u*, conſonantem, &, *η*, *i*, latinum, non video quid commune habeat cum balatu ouium, ſi dicas, *vli*, *vli*, vnica ſyllaba: *ble*, *ble*, enim oues ſonant & capræ. Infirmabit etiam Ciceronis autoritas huius pronunciationis rationem. Is enim ludens in dictione, *bini*, quę Latinis numerum ſignat diſtributiuum, & *βινεῖν* quod eſt, Veneri operam dare; in epiſtola quadam ad Papyrium Pætum, vtranq; poſuit, quaſi ſimillimus vtriuſq; ſonus.

Secun-

Secundum hanc autem pronunciationem, *vini* dicendum fuiſſet: quid autem id ad *bini*? Extat etiam adagium: *Beta ſapientum*: quo ſignificatur vir ſapientia excellens. Quod ſi quis enunciet, *Vita ſapientum*: iam alia emerget ſignificatio, à prouerbio aliena.

Adde his, ſi τ, poſt ν, enunciandum vt δ; quemadmodum neoterici volunt, quomodo apparebit differentia inter ἐνδελέχεια, *endelechia* & ἐντελέχεια, *entelechia*. Neq; enim audiendi ſunt, qui alterum pro altero ponunt, neq; magni referre aiunt vtram litteram ſcribas, δ, an τ. Cum *endelechia*, aſsiduitatem, perpetuitatem ſignificet, interprete Gaza: *entelechia* verò, perfectionem, quaſi ſit τοῦ ἐντελοῦς συνοχὴ, vt Budæus aſſerit, Ideſt, perfecti corporis comprehenſio. Licet quidam vtramq; dictionem confundentes, *entelechiam*, interpretentur continuatam quamdam & perennem motionem. Quam confuſionem, corrupta recentiorum peperit pronunciatio.

Qui monimenta Græcorum hominum diligenter euoluerunt, eam docent priſcorum fuiſſe veram & germanam pronunciationem: Vt β, ſonaret, *b*, latinum. Vnde *Beta ſapientum*, η, *e* longum. αι, vt *ai* Italorum, in dictione *aime*. Id Germani ſuo idiomate commodè exprimunt, dicentes *Kaiſer* I. Cęſar, Imperator. ει, item duplici ſono: quemadmodum

ſi Ita-

ſi Italicè ſcribas, *ei*. οι, quemadmodum Italis, *oime*: cuius pronunciationis apparet etiam veſtigium in dictionibus, *Aiax*, & *Troia*. Nam ſi αι, vt *æ*, & οι, vt *i*, proferendum eſſet; *Æax*, & *Tria*, pro Aiax, & Troia enunciaremus. Neq; duplex ille ſonus audiretur, qui incipit ab α, ε, ο, & deſinit in ι. Sic etiam eſſet otioſa appellatio prępoſitiuę & ſubiunctiuę vocalis. Hanc mordicus tenebat, proq; ea, tamquam pro aris, & focis (quod aiunt) pugnabat Gotthardus Mylander, celebris linguarum profeſſor, qui ſemel atq; iterum ad me diuertit è Gallijs in Italiam profectus.

Qui contra ſentiunt, illorum hæc eſt ratio: Horatium adducunt in medium, in arte poetica ſic loquentem:

Vt ſiluæ folijs pronos mutantur in annos:
Prima cadunt, Ita verborum vetus interit ætas:
Et iuuenum ritu florent modò nata, vigentq;.
Debemur morti nos, noſtraq;.

Et paullò poſt.

Nedum ſermonum ſtet honos, & gratia viuax.
Multa renaſcentur, quę iam cecidere: cadentq;
Quæ nunc ſunt in honore vocabula, ſi volet vſus:
Quē penes arbitriū eſt, & vis, & norma loquendi.

Hoc argumento pugnabat Philippus Palamedes, natione Græcus; qui genus iactitabat Palamedis illius, de quo apud Homerum & Virgilium. Hic Philippus cum annos aliquot

apud

apud Hiſpanos, litteras humaniores, honorifico ſtipendio publicè profeſſus eſſet; ex Hiſpania in Italiam veniens apud me diuerſabatur. Huic Palamedi, ſi quis obijciebat, quæ ex polyiotaciſmo orerentur incommoda: diceretq; ex Theocriti & Ariſtophanis monimentis β, vt b, latinum, η verò, vt e longum enunciandum; exigente id vocum ſimilitudine, in qua illi elaboraſſent: reſpondere ſolebat, primum in dialecto atq; idiomate non eſſe quęrendam rationem: merum & miſtum imperium conſuetudini dabat, in hoc genere, atq; identidem geminando Horatianum illud obtrudebat:

Quē penes arbitriū eſt, & vis, & norma loquēdi.
(Vſum intelligebat)

Proferebat etiam neſcio quid de oraculi antiquiſsimi reſponſo: quo cum prædictum eſſet, vel famem, vel peſtem inſtare: Dubitatum eſt, peſtiſne, an fames eſſet timenda. Addebat, ſi inter ι, & οι, fuiſſet diſcriminis aliquid, in loquendo, apud illos; non hęſitaſſent in oraculi interpretatione: quippe, qui intelligerent, per λιμὸν, famem, per λοιμὸν, peſtem denunciari. Iubebat præterea eos, qui priſcam affectarent enunciationem, priſcorumq; delectarentur accentibus, vt ſuſcitarent illos ab inferis, ſermones conferrent, & colloquia miſcerent cum illis. Aſſeuerabat verbis eſſe loquendum præſentibus, qualia illa cumq; eſſent

ſent in vſu: neq; ita eſſe quæritanda priſca & obſoleta, quaſi Agamemnon regnaret, quaſique cum matre Euandri quis loqueretur. Hic, ſi quis vrgeret, rectè id de verbis eum ſentire, at non item de pronunciatione: Subdebat ille, eamdem eſſe vtriuſq; rationem. Huic ſuę ſententiæ adſtipulatorem, & quaſi teſtem laudabat exceptione maiorem Ciceronem: qui de oratore ad Quint. fr. lib. 1. ſcribens ſic loquitur. In dicendo autem vitium, vel maximum, à vulgari genere orationis, atq; à conſuetudine communis ſenſus abhorrere. Iam non exiſtimandum de antiquorum conſuetudine, ſed de illa, quę eo tempore recepta eſſet, Ciceronem locutum; neq; voculationem excluſiſſe, cùm de genere orationis verba feceret. Addebat illud, quod non parum habere ponderis & momenti videtur. Fingeret quiſpiam ſublatam de medio veram Latinorum pronunciationem: interrogabat, vbi terrarum, & apud quam nationem quærendam eam exiſtimaret. Vbi ſuſtinere aſſenſum videbat, & hæſitare obloquentem, ſubijciebat, ſibi ita videri: apud Italos potius, quam apud alias quaſcumq; gentes eſſe quærendam verã & genuinam Latinę linguę enunciationem: Quòd illi eam, quaſi per manus traditam, iure quodam hæreditario, & legitima ſucceſsione poſsiderent. Quorum ſi videretur

retur eſſe vitioſa, quid de alijs ſtatuendum, ſciſcitabatur. Deniq; à ſimili ducto argumẽto, Græcos dicebat, eos, qui hodie viuunt, propius accedere ad veram Grȩcarum vocum pronunciationem: Neq; in eo quidpiam eſſe momenti, quòd vulgus Grȩcorum perperam enunciat elemẽta, atq; ſibilat, vbi ſpiritus attenuandus; & contrà tenui ſpiritu eloquitur animi ſenſa, verbis illis, quæ ſpumoſum & craſſum requirunt. Sed eos eſſe reſpiciendos, qui ius habent ſuffragiorum: hoc eſt, viros doctos: qui, ſi non videantur aſſequi accentum priſcum, id conſuetudini, vel deſuetudini potius adſcribendum. Neq; credendum alijs nationibus, teſtamento legaſſe pronunciationem Græcos antiquos, cum ſtygiam ſibi paludem nauigandam viderent. Hæc Palamedes. Ego nihil ſtatuo: ſuum cuiq; iudicium relinquo. Deligat vtram magis probet. Nec tamen interea prȩteribo, ridiculos eſſe illos, qui apud nos Græciſſantes (ſic dicam) κ, ante ε, ι, & ſimiles, cum ſibilo proferunt; cum muta tenuis dicatur ad differentiam adſpiratarum. Atq; illius enuntiationis rationem è lingua latina petunt, Quod Latini hodie C, ante A, O, V, tenuiter exprimunt: ante E & I. cum ſibilo. Quaſi eam dem vtriq; idiomati legem prȩſcribere velint.

II.

QVia cum Græcis res eſt, & de Græcis agitur: Græca dictio vocetur in controuerſiam. *Philoſophia*, dictio Græca eſt: eius penultimam alij producunt, alij corripiunt.

Quæſitum eſt, vtra probabilior, ſeu verior pronunciatio. Qui eam corripiendam eſſe aiunt, hac nituntur ratione: Dictio hęc, diù quaſi peregrinata, ad Latinos commigrauit: apud hos multos iam deliteſcit annos: iamq; veluti ciuitate donata, & facta latina, Latinorũ accepit imperium. Proinde Latinorum legibus pareat neceſſe eſt, quæ in Latinorum habitat ditione. Latinorum lex eſt, vt vocalis ante aliam poſita, corripiatur: *Philoſophia* ergo, accentu in antepenultima enunciandum eſſe ſtatuunt. Neq; enim ita ſe Latini Gręcis addixerunt (quod ſollertiſsimus ille veterum monimentorum indagator Pierius Valerianus notat) vt non ius ſibi eſſe voluerint, non tantum litteras, & ſyllabas, verum totum etiam interdum nomen, quod ab ipſis mutuo caperent, variandi.

Alij contrà ad hunc modum.

Dictionem eſſe Græcam nemo ierit inficias: Gręcis vſu receptum eſt, vt ſyllabam attollant, in qua ſignum toni fixum vident. *Philoſophia*

accen-

accentum habet in penultima,in ea igitur vocu latio fiat,neceſſe eſt. Neque impedimento eſſe debet ſyllabæ breuitas : cum apud Grçcos non ſit par ratio quãtitatis ſyllabariæ, & accentuũ. Quod verò Latini eam veluti vtendam rogarunt, id eſt huiuſmodi : Finge te libri tui copiã ita facere cuipiam,vt meminerit,vſui,non mancipio datum. Qui ſi eum tibi reddat lacerum, & mutilum; vel quouis modo fœdatum, aut labefactatum : indignum cenſeas, cui denuo aliqua re commodes, aut benefaciendo proſis: Quin damnum præſtare lege iubeatur. Hinc argumenti ſedes. Eſto, ſint Latini hanc dictionem (*Philoſophia*) à Grçcis mutuati. Quod ſi ipſisGrçcis repetere eam viſum fuerit,ſaltem integram, inuiolatamque cum genuino reddãt accentu : ne actionem iniuriarum intendere Grçci poſsint, & ſi Græci, vt ait Budæus, nunquam repetituri ſint mutuum,quod vſu diuturno ſuum fecerunt Latini: Ingrati tamen eſt animi, cum Grçcia Latinos non modo diſçiplinis, ſed etiam ſuis verbis locupletauerit,eaque adhuc teneát;nec beneficiũ,nec debitũ agnoſcere. Itaq; licet quidem Latinis, vt ſuis vocabulis admiſceant hanc dictionem. Sed ita proferant, quemadmodum Græci : neq; eam à gente ſua cogant deſciſcere, vt transfugam, & rebellem. Sin autem ſucclamauerint,factam eſſe Latinã, in Latinorum centurias &tribus dediſſe nomẽ.

K Sal-

Saltem Latini ne ſint iniurij: neq; per vim occupent aliena: Græcis ſuum reddant Φ, vt ne veſtigium Græcitatis (ſic loqui fas ſit) appareat. Vtantur ſuo digamma: vt pariter & ſcriptione, & locutione ſit latina, ne inſtar veſpertilionis inter aues, aut Germani bracchati inter Italos oberret, peculiari quodam ſtigmate ſignata, quæ peregrinam arguat. Senſit hoc Paullus Cicalinus, primarius medicinæ profeſſor in academia Ticinenſi, atq; in omni ſcientiarum genere oculatiſsimus: cuius ingenium ego tacitus mecum admirari, quàm infrà merita laudare, malo.

III.

AN Pythias apud Terentium in Eunucho, virilium amputationem Chæreæ minitari ſenem putet, cum ait: *Minitatur illi, quod mœchis fieri ſolet*. An verò ἀποραφανιδῶσιν, hoc eſt, pœnam raphani, quæ apud Athenienſes illis erat conſtituta, qui in adulterio deprehenſi eſſent: de qua interpres Ariſtophanis in Pluto. Cum præſertim Athenis agi fingat Terentius, comoediarum argumenta.

IV.

AN rectè ſentiant, qui paragraphus fœmineo genere enunciandum docent, vt ſubaudia-

tur γραμμὴ, Id eſt, *linea*. An verò genere maſculeo proferri liceat, vt ſubaudiatur, ἀστερίσκος, Id eſt, *ſtellula*. Neq; enim erui poteſt ex etymo vocabuli, quid tale, quo probetur vſquequaque lineam ſubaudiendam eſſe: Neque lineæ ſpeciem, aut figuram præferre videtur ſignum illud, quo legum capita in ſegmenta diuiduntur; quæ ſunt periodi, ſiue ambitus verborum, certęq; ſententiæ comprehenſiones.

V.

AN ridendus ſit adagiorum collector Eraſmus, qui Horatij locum:

Mactata veniet lenior hoſtia.

Perperam interpretatur, cũ dicit: *Lenior hoſtia mactata:* pro manſueto & ſpõtaneo. Horatius.n. his verbis hoc ſentit: Vbi hoſtia Veneri mactata fuerit, Glyceram fore leniorem. Sic expoſuit Lambinus & Porphyrio. Sed neſcio an etiam ipſi interpretes ſint allucinati. Dixerat .n. paullò ante Horatius: *In me tota ruens Venus Cyprum deſeruit.* Quibus verbis oſtendit, ſęuire in ſe Venerem, quę accenderit eum amore Glyceræ. Hanc ſacrificio mitiorem fore dicit. *Lenior,* itaq; non ad Glyceram, ſed ad Venerem referendum cẽſeo, cui ſacrificia fiant: qua placata, vel ipſius Horatij flamma amoris extinguatur, vel Veneris beneficio in amore

k 2 reſpon-

reſpondeat Glycera. Vt cumq; ſit tolerabilior Lambini, & Porphyrionis error (ſi modo error dicendus eſt) quam Eraſmi. Quòd ſi inter adagia referendus ſit hic locus, non de manſueto intelligendus erit, ſed in eum quadrabit, quem iratum atq; infenſum muneribus placari poſſe confidimus. Vt, ſi magiſtratum, vel principem nobis iratum, *hoſtia mactata*, Id eſt, muneribus oblatis, ira depoſita, mitiorem futurũ dicamus: Quòd verò de cultro ſupra frontem ducto ſomniat Eraſmus, faceſſat vt ab re alieniſsimum.

VI.

AN rectè ſentiat Muretus, qui in Eunucho Terentij Chęreę tribuit verba, quę ſunt Parmenonis: *Numquam defugiam autoritatem*.

Quod neq; orationis patitur œconomia, & à Terentiano candore alienum: vt hæc ita proferat Chærea: Iubeo, cogo atq; impero: & continuò addat, ***numquam defugiam autoritatem***: ſine vlla dictione, cuius beneficio conſequentia antecedentibus concinnentur. Tum etiam, ſi Chærea ſe violatæ uirginis autorem profiteri noluiſſet, non hęc elata voce pronunciaſſet verba: ***O Parmeno, mearum voluptatum inuentor perfector***. Item ſubmonuit me Parmeno, ibi ſeruus, quod ego arripui. Pythias etiam

his

his verbis, non Chęream, ſed Parmenonem facit autorem: *O ſceleſtum Parmenonem, qui hunc ſuppoſuit nobis*. Neque enim credendum eſt, tam ſui oblitum vmquam fuiſſe Terentium, vt pugnantia loqueretur: & Chęream aperti mēdacij reum produceret in Theatrum. Sint igitur verba Parmenonis, qui neget ſe ſe detrectaturum prouinciam, quin autor, & inceptor ſit gratiæ referendæ meretricibus, à Chærea perſuaſus, qui dixerat non modo nōn reprehenſurum id quemquam, ſed omnes approbaturos, ſi quis *illis crucibus* (meretrices intelligit) vicem reponeret, *quæ adoleſcentum ætatem habent deſpicatàm*.

An legendum ſit in Perſio: ſat. 5.

Quodcumq; in penem venit amarum:

An verò littera canina in mutam, leui tractu transformata, pro, *amarum*, *amatum* ſit legendum, ne longè petenda, aut dentibus, (quod aiunt) trahenda ſit expoſitio. Suſpicabatur id Fabius Bellonius Iuriſconſultus, publicus legum profeſſor, dimidium animę meę: cuius memoriā ita excipient omnes anni conſequentes, vt nulla ęui diuturnitas, neq; reuoluta ſeculorum periodus eam delere poſsit: licęt eū, cui omne genus ampliſsimę dignitatis excelſa parauerat indoles, reipublicę litterariæ inuidens peſtilentia, in ipſo ętatis flore ſuſtulerit. Sed ne transuerſum me agat conceptus

ex recordatione dolor, quem Paullus frater il-lius, ſi non abſtergere penitus, certè, leuius vt pungat, efficere poteſt: quãdo, veluti acceptam curſu lãpada, per manus traditam prouinciam, pari nominis celebritate gerit: pergo ad id quod inſtitui.

VIII.

AN ſit vſq; quaq; imitandus Manutius, qui in ortographia ſua, *ſæculum*, cum diphtongo ſcribendum eſſe contendit, vt differat à ratione moduli, hoc eſt, à quantitate primæ poſitionis, quod eſt verbum, ſequor: in quo verbo, prior ſyllaba corripitur. Quaſi non ſint ſexcenta, quę à longis deriuata corripiantur: & contra, quæ à breuibus deſcendentia legantur producta. Nec minus iniurię facere videtur dictioni, *charus*, cui eadem ratione notam adſpirationis eſſe tollendam cenſet, vt producatur: cum à χάρις, vel χαρίεις optimè deducatur.

IX.

AN idem Manutius in dictione *ſollemne* rectè iudicet, vbi plus eſſe dandum antiquitati, affirmat, quam analogię: atq; lectorem remittit ad Feſtum Pompeium, tamquam ſuæ ſententiæ adſtipulatorem. In Feſto autem

ſic

ſic legitur: *Solenne*, quod omnibus annis præſtari debet. Viderit ipſe, ſubſcriptorem ne habeat Feſtum, an aduerſarium. Adde huc, quòd cum in, *ſollemne*, mauult antiquitatem, in dictione *anulus*, à ſe ipſo diſſentiens, etymologiã vt veriorem ac certiorem amplectitur. Tum in verbo, *negligo*, non placere ſibi dicit, quod in antiquis pleriſq; & lapidibus & libris. An diuinandum ſit, quando lapides, & quando analogiam malit.

X.

ROBertus Titius lib. 4. cap. 14. loc. contr. Adfert neſcio quid ex Plutarcho, de piſcibus, in eum Terentij locũ, qui eſt in Andria:

Etiam puerum inde abiens conueni Chremis,
Olera & piſciculos minutos ferre obolo in cęnã ſeni.

Quòd piſces pro opſonio, κατ' ἐξοχὴν poſitos eſſe ait, rectè & verè id quidem, quòd verò ibi Demoſthenem adducit, qui Philocrati gulæ ſtudium exprobret, non aſſequor, quomodo id cum cæna Chremetis cohæreat: ſi enim hominem ruſticum & ſenem facere velit deliciarum ſtudioſum: primùm repugnabit diminutio nominis; *piſciculos*, & dictio *paullulum*: Tum Ciceronem habebit ἀντίμαχον, qui in oratione pro Sexto Roſcio Amerino ſic loquitur: In ruſticis moribus, in victu arido. Et paullò poſt:

Vita autem hæc ruſtica, quam tu agreſtem vocas, parſimoniæ, diligentiæ magiſtra eſt. Tum etiam, (ſi quid hoc ad rem pertinet) nomina fabularia non temere à poetis confiĉta eſſe aiunt: Id ſi ita eſt, Ego, *Chremem* à χρῆμα, quod eſt, res, negotium, lucrum, diĉtum arbitror: qui autem negotijs, rei augendæ atq; lucro intentus eſt, illi in cibo & potu luxus non reĉtè exprobrabitur.

XI.

AN ridiculi ſint poetæ noſtræ ętatis, *qui ſtantes pede in vno*, vt iniquit Horatius, ſine mora verſus pangunt ducentos: Illi, inquam, ſint ne ridendi, quòd Poematijs ſuis numerum verſuũ præponunt: quaſi exploratum habeant, in manus eorum venturos eſſe, qui numerare neſciant: præfigunt enim, *diſtichon, tetraſtichon, hexaſticon*: quo exemplo, dicant ipſi. Adde etiam (ſi dijs placet) *diſticon, tetraſticon, exaſticon*, ſublata adſpirationis nota: vt, ſcilicet, de Gręcis quidpiam olfeciſſe videantur.

XII.

AN reĉtè formatum ſit adieĉtiuum *teſtudineatus* ex Plinio. Is enim libro 33. cap.

cap. 11. de triclinijs loquens ſic ſcribit: *Teſtudinea tum in vſum veniſſe.* Vbi ex ignorantia Chalcographorum error natus: qui neglecta hypodiaſtole, in elenchum inciderunt, qui dicitur, à diuiſione ad compoſitionem, cum è duabus dictionibus vnam fecerunt. Id falſos habuit oculis, & ingenio cæcutientes Grãmaticos.

XIII.

AN ſit veriſimile, quod ſomniat Laurentius Valla, Grꝗca figura deceptum interpretem ſacrꝗ ſcripturæ, qui ita vertit: *In conuertendo dominus captiuitatem* Sion: An ipſe verius cꝗcutiat, qui non videt, quanta dexteritate interpres effugerit ambiguum ſermonem, qui erat in accuſandi caſu, neque iniuriꝗ quidquam fecerit dialecto Græcꝗ. An credendum ſit, non eum potuiſſe excogitare Laurentij Gryllo reſpondentem verſionem, ſi voluiſſet. Mirum quòd non acuſauerit etiam illud, quòd in ſacris litteris, hanc formulam Græcam; Τί μοι καὶ σοί; ita vertit: *quid mihi & tibi?* Vbi dicere potuiſſet, *quid mihi rei tecum?* Sed dum os ponit in cælum (quod dicitur) ſui ipſius obliuiſcitur: dumq; ſublimia inſectatur, humilibus impeditus hæret. De gerũdijs.n. dum agit, dũq; docet, quomodo illa differant à participijs, hꝗc profert exẽpla,

Tenet

Tenet me occupatio iuris dicundi: gerundium eſt, nec tempus ſignifico futurum, ſed rei adminiſtrationem: hoc eſt, in iure dicundo. Rurſus, *tenet me cura dotis numerandæ*, id eſt, quæ numeranda eſt: participium eſt futuri ſignificatiuum, ſine adminiſtratione rei. Hæc ille. Hic, ſi quid eſt diſcriminis inter, *iuris dicundi*, & *numerandæ dotis*, in ipſius reſolutione, ſeu expoſitione eſſe arbitror, non in formulis. Hoc tamen illi vnum concedo ſubterfugium, ſi eo vti velit, quod noluerit diſtinguere gerundia, à verbalibus, quæ nonnullis gerundiua dicuntur. Quanto rectius ſuæ famę conſuluiſſet, ſi mentis oculos aperuiſſet, cum Nonium Marcellum inſectaretur, de dictione *alumnus*. Dũ enim ijs, quæ à Nonio adducta erãt, exemplis, ſuam defendere ac firmare rationem conatur, hæc imprudenter eloquitur: (*Nec illius exempla ſecum facere oſtendam, ſed mecum*) Quid cauſſę dicet, quin rectà pergat ad piſtrinum, cum ſua reciprocatione? Neq; Ciceronem mihi obijciet, ſi quem habet aſſertorẽ ſuæ cauſſę: In quo memini, quam diligenter obſeruauerit Græcorum imitationem. Budæus in commentarijs linguæ Græcæ. Vbi etiam hæc de Laurentio Valla ſcripta reliquit. Ego verò Laurentium Vallenſem Egregij ſpiritus virum exiſtimo, ſeculi ſui imperitia offenſum (non enim rectè ſentit de vſu verbi *transfero*) primum la-

tinè loquendi conſuetudinem conſtituere ſumma religione inſtitiſſe; Deinde iudicij acrimonia ſingulari, cum profectus quoq; diligentiam æquaſſet, in eam ſuperſtitionem ſenſim delapſum eſſe, vt & ſeſe ipſe, & alios captioſis obſeruationibus, ſcribendiq; legibus obligaret. Hactenus Budęus. Addit etiam frigidiora, cum inquit: Idem Laurentius, *ſpero tibi eſſe bonus amicus, credo tibi fuiſſe fidelis*, propriè dicitur: per accuſatiuum verò non, niſi alterum accuſatiuum addas, qui antecedat infinitiuũ: *Spero me tibi eſſe bonum amicum*. Hęc verba Laurentij profert Budæus: de quibus ipſe hoc modo: Hoc dictum improbare videtur illud Ciceronis, pro Quintio: Ne vt par quidem ſit, poſtulat; inferiorem eſſe patitur. Et ad Atticum lib. 10. In Italia autem, nos ſedentes quid erimus? Nam medios eſſe iam non licebit: Cæſ. tenuem fecemini prædam, quibus licet eſſe fortunatiſsimos. Curtius: Ad veſtras manus confugio, inuitis vobis ſaluum eſſe nolo. Addit his etiã plura alia, ex optimis quibuſq; ſcriptoribus exempla, quibus erroris reum peragit Vallam. Notat etiam, quam imperitè reprobauerit Valla hanc locutionem, *vterque vtrique.* Et verba Laurentij adſcribit, quæ ſunt hæc: *Vter vtrum accuſat, Latinè dicitur: Vterque vtrique vix auſim dicere*. Vbi Budęus: contra hoc dictum opponere poſſum illud Cæſaris:

Cum

Cum vterq; vtriq; eſſet exercitus in conſpectu. Et illud Terentij in Heauton. *Hoc beneficio vtrique ab vtriſque verò deuincimini.* Quod vtrumque Græcorum imitatione enunciatum eſt. Hæc Budęus de cenſura Laurentij Vallæ. Neque arbitror, id negabit idem Valla, quod conſtat ex monumentis Grȩcorum, eam eſſe infinitiui naturam, quod in ijſdem commentarijs ſcripſit Budæus, vt & accuſatiuum & nominatiuum poſcat apud Grȩcos. Qua de re multa, quæ ſunt ad manus, exempla proferrem, niſi vererer, ne ad nauſeam vſque ſatiarem lectores.

XIV.

AN Ianus Parrhaſius in commentarijs, quos ſcripſit in Claudianum, de raptu Proſerpinæ, rectè ſentiat, cum dicit Sinonem, apud Virgil. lib. 2. Aeneid. teſtari Deos penates, his verbis:

Vos æterni ignes, & non violabile veſtrum.
Teſtor numen: An rectius Seruius, qui Solem & Lunam ſignificari docet: quod probabilius. Quorſum enim illud?

Suſtulit exutas vinclis ad ſidera palmas.

Cum alibi quærendi eſſent Dij penates, atq; aliò tendendæ manus, ſi ad illos reſpexiſſet.

XV.

AN liceat procerum reipublicę litterariæ decretis obmurmurare, & ab eorum conſuetudine recedere: Vt malit quis ſcribere *autor*, quam *auctor*. Quod Lambinus in prolegomenis ſuis in Horatium, ſibi placere ſuboſcurè oſtendit. Cui ſcriptioni pondus & fidem adfert Pythagoreorum αὐτὸς ἔφα. Vt taceam, quod αὐτὸς, non parum habet momenti ad eam confirmandam. Ariſtophanis etiam interpres, αὐτὸς, de Socrate pro autore ſcribit. Quòd ſi quis ad euitandam arrogantię ſuſpicionem pertinere dixerit, vt ab augeo deriuetur: cum nullum ſit dictum, quod non dictum ſit prius: tantulum de meo iure ceſſero.

XVI.

QVid illis venerit in mentem, quicumque fuerint, qui Ciceronis epiſtolas, ad Lentulum, Brutum, & alios, *familiares* appellant: cum neq; argumentũ, neq; dicendi figura perpetuò ſit familiaris. An familiare argumentũ, vbi de rege reducendo, de ſenatuſconſultis, de republica liberanda, & alijs rebus grauiſsimis agitur? An deniq; genus ſit dicendi familiare, vbi & verba & ſentẽtię graues, ambitus,

ſeu periodi, vt vocant, numeroſę,& prolixæ? Non tamen iero inficias, complures ineſſe familiares: Vt, quæ ad Papyrium Pętum, ad Trebatiũ, ad Vxorem, & ad alios. Propter illas tamen volumini titulum *familiares*, eſſe præfigendum, id pernego.

X V I I.

ADmiſcebo etiam quid indignum, quod in diſceptationem veniat: Ridendum ne ſit, an explodendum puerile atq; ineptum illorum commentum, qui in dictionibus (*litium*) & (*vitium*) cum ſunt genitiui numero multitudinis, alterum à *lis*, alterum *vitis*: in his (inquam) penultimam ſine ſibilo pronunciāt, vt differant à (*licium*) quod eſt textorium inſtrumentum, & (*vitium*) quod virtuti opponitur. Scilicet boni illi Grammatiſtæ ſeriò fugiunt ἀμφιλογίαν. Quaſi verò non differant ſcriptione & ſyllabaria quantitate. *Licium* textorium inſtrumentum, cum *c*: *Vitium*, à *vitis*, prima producta: *Vitium* virtuti contrarium, prima breui. Egregia ſpeculatio, & recens excogitata diſtinctio, priſcis incognita. Si iſti Cæſarum ſalutatores, enunciando diſtinguere vocabula volunt, nō longè quæſita tendam retia, quibus ipſi ſeſe doctorum vicem vlti, cum concluſos videant, ineptiam deteſtentur, ingenijq; deplo-

deplorent hebetudinem. Quid blaterabunt de (*ſui*) primæ poſitionis: & de (ſui) à ſuus, quod deriuatiuum: tum de (*ſui*) dandi caſu, à *ſus*? Quomodo hic vocem articulabunt vocem ne an frontem criſpabunt? Lingua palatum molliter attingent? an eadem vtroq; dentium lepto leuiter compreſſa, ſibilum efflabunt? Tandẽ quo diſcrimine dignoſcendas has dictiones anomala pronũciatione dabunt? Ad hæc, *vicia*, quod eſt genus leguminis, & *vitia*, numero plurali à *vitium*, quomodo diſtinguent? Etiam ne reliquias Romani candoris, fœda conſpurcabit barbaries? arroganſq; ingenij ſtupor, ſuperſtitem delebit ſcintillam? Diſpudet plura de his, ne doctorum virorum aures offendam.

XVIII.

CVr Cicero in 2. Philipp. cum dicit, apud poetam neſcioquem, extare dictum, *malè parta, malè dilabuntur*: cur, inquam, nomen poetæ non expreſſerit. An (quòd verò ſimillimum) prohibeat oratoria facultas, autorem nominatim proferre: nedum cauſſam noſtram confirmando ad victoriam accõmodamus, circa autoritatis propugnationem occupatos reddat nos aduerſarius. Tum quid ſentiendum de Eraſmo, qui eo in loco Plautum intelligi affirmat: cum apud Plautum *diſperit*, non *dilabuntur*:

buntur: & *partum*, non *parta* legatur: cum etiam Feſtus Pompeius Nęuiū intelligendū, manifeſtè oſtendat.

XIX.

QVid ſtatuendum de illis, qui in quarta ſyllaba à fine, voculationem faciunt: vt (exempli cauſſa) in dictione, *gloriaq;* tonus ſit in glò; cum ſecundum leges Grammaticorum, penultima, & antepenultima, nonnumquam, ad tollendam ambiguitatem, etiam vltima recipiat accentum: Qua de re, ſi nullum aliud, certè a Græcis habebit exemplum, qui eos viua voce audierit pronunciantes. Quemadmodum in oratione Dominica: ὄνομά σου, Id eſt, nomen tuum θέλημά σου, Id eſt, voluntas tua. In his audias vocē non in enclitico, σου ſed in ſyllaba μά. Quod mihi à Græcis audire contigit, quos à vulgo ſegregauerat ingenium, & magnarum rerum ſcientia. Interea tamen illud obſeruandum, penultimę ſyllabę quantitatem non eſſe negligendam Latinis. Penultimam autem dico, quę encliticæ recipit accentum: hóc eſt dictionis compoſitę cum enclitica: Hic enim diſpar ratio Græcorum, & Latinorū. Quód quia non vident multi Priſciani & Quintiliani diſciplinam iactantes, ſępe quātitatem violant ſyllabarū, vt diſtinctè loqui videātur. Qui in dictionibus, *dumtaxat*, *profectò*, & ſimi-

ſimilibus, accentum retrahunt in antepenultimam: quod differentię gratia faciendum eſſe monent. At ſecundum canones grammaticorum, penultimæ ſyllabæ habenda eſt ratio, atque ex ea perpendendus tonorum ſitus: Illa ſi fuerit longa, accentus in eadem: ſin ſecus, in antepenultima. Niſi vltima ſyllaba tono ſignata, quid diuerſum facere cogat.

X X.

Sicelides muſæ, iam liberiora canamus.

AN Marcus Tullius Cicero, qui cum Gręcis, tam felici, quam ſtrenua æmulatione certauit, atque eloquentiſsimis quibuſque in omni laudis ſtadio anteuertit: an, inquam, ille, qui Atticam eloquentiam in Romanæ facundiæ ditionem ac poteſtatem redegit, quantus quantus eſt, ſupra mortalium conditionem ponendus; vt nulla erroris humani teneatur culpa. An verò & ipſe lapſus ſit memoriæ, cum lib. 2. de diuinatione, verſus ab Agamemnone pronunciari facit, quos Vlyſſem locutum, conſtat apud Homerum, lib. 2. Iliad. Quibus verſibus Vlyſſes Gręcos ex augurio Calchantis hortatur ad pugnandum: cum paullò ante fugam ſuaſiſſet Agamemnon. Vidit hoc Adrianus Turnebus, & alij benè oculati.

XXI.

AN idem Cicero in ius rapiendus ſit, quòd eodē lib. 2. de diuin. *Proclus*, ſecunda nominum inflexione ſcripſit: cum in monumentis Herodoti *Procles* legatur. Notauit, & hoc Turnebus.

Quæ deinceps in controuerſia ponam, ea ſunt huiuſmodi, vt iam videre mihi videar ſuperciliosorum centurias, quę grandem mihi dicam impingat: meq; vt παραδοξοποιοῦντα læſæ maieſtatis faciant reum: qui cornicum, vt dicitur, oculos configere, & communibus ſententijs approbatam expoſitionem & pronunciationem improbare audeam. At mihi interea Mineruæ beneficio feneſtrę Iouis pateant, quæ votis ſunt admittendis deſtinatæ.

XXII.

IN moralibus illis carminibus, quæ nomine Catonis circumferuntur, offendit me vulgata primi diſtichi expoſitio; quę eſt huiuſmodi: *Si Deus eſt animus*, id eſt, ſpiritus, hic animus *tibi colendus eſt*, non ſacrificijs, ſed *mente pura*. Sic maximus Planudes, & poſt eum Eraſmus interpretatur; neq; licuit adhuc videre, qui contrà vel diceret, vel ſentiret. Mihi

verò

verò quid videatur, paullò verboſius aperiam. Ego in homine ethnico, quem ſola naturæ ſcintilla illuſtrauit, theologicas aut chriſtianas ſpeculationes neque requiro, nec ineſſe exiſtimo. Tum ſi mente, non ſacrificijs colendum eſſe docet, quorſum illa? *Ture Deum placa*, &c. Itaq; duos illos verſus arbitror eſſe tamquam prolegomena, vel procemium quoddam: atque eos ſic explico: Si animus noſter eſt Deus, hoc eſt, ſi quid diuini in animo noſtro: hic animus excolendus eſt, mente pura, hoc eſt, rectis conſilijs, prudentia, & virtute. Huius meæ ſententiæ firmamenta hęc ſunto: ſic meæ expoſitioni fidē adſtruo: Cicero animus, inquit, vt ego dico, *diuinus*: Vt Euripides audet dicere, *Deus eſt*. Idem lib. 4. Tuſc. quęſt. Humanus autem animus, qui decerptus eſt ex mente diuina, cum alio nullo, niſi cū ipſo Deo (ſi hoc eſt fas dictu) comparari poteſt. Hic igitur, ſi eſt excultus, & ſi eius acies ita curata, vt nec necetur erroribus, fit perfecta mens, id eſt, abſoluta ratio: quod idem eſt, quod virtus. Hęc Cicero. Plato item in Menone: Omnes animæ impetus, atq; omnes declamationes, ducente prudentia, ad beatitudinem tendunt; imprudentia verò ad contrarium. Et paullò poſt: Qua propter, ſi virtus aliquid eſt eorum, quę conſiſtunt in animo, neceſſarioq; vtilis eſt; *prudentiam* hanc eſſe oportet. Hæc & plura in eumdem ſenſum

Plato. Stoici, animum humanum dicebant eſſe *ἀπόσπασμα θεοῦ*, Id eſt, interprete Turnebo, quiddam ex Deo tractum & ſumtum. Mentem autem aiunt eſſe quãdam cogitationis & conſilij ſubtilitatem, certæ rationi conſentaneam. Animus dicitur eſſe vitæ & voluntatis fundamentum. Apparet hoc ex illo Terentij: *Mala mens, malus animus*. Cęlius Rhodiginus apertè ac dilucidè mentem ab animo diſtinguit, his verbis: lib. 25. antiq. lect. cap. 17. Animus quidem in corpus deſpoticum exercet principatum: propterea ſignificantius dixit nobilis hiſtoricus: animi imperio, corporis ſeruitio magis vtimur. Mens verò in appetitum profert politicum, id eſt, ciuilem regiumq; . Hactenus Rhodiginus. Virgil. Lib. 1. Aeneid.

Qua facere id poſſis, noſtram nunc accipe mentem.

Si dixiſſet animum, oſtendiſſet voluntatem, non conſilij rectitudinem. Idem Virgil. 2. Aeneid.

Arma amens capio, nec ſat rationis in armis.
Sed glomerare manum, & ſimul & concurrere in arcem.
Cum ſocijs ardent animi.

Hic cupiditatem indicat, cui recta ratio deerat. Lucretius lib. 4.

Senſibus à noſtris animi vix mente videtur.

Sit igitur ſenſus procemij. Quandoquidem animus eſt diuinus, honeſtis conſilijs,& virtute excolere eum debemus: ne vitijs repleatur, & ad turpia nos ſeducat. Deinde morum præcepta orditur à vigilantia.

XXIII.

PErgo ad *candelabrum*: in qua dictione, ſi quis in antepenultimam retrahere accentum contra omnium conſuetudinem velit, prodibunt cum Martiale propugnatore ſuo atque ignorantiæ multam indicent. Sed antequam accedam ad Martialem, in quo plurimum præſidij poſitum habent: proferam rationem eorum grammaticam. Eſt autem hæc. Nomina in *abrum* deſinentia penultimam producunt. Exemplo eſſe volunt, *velabrum*, *ventilabrum*. Ad eam ſic habento: Si analogię locum dari volunt, prodeat verbum *candelo*, *las*, quemadmodum *velo*, ac *ventilo*: ſin autem, nihil probatum dixero. Alterum eius enunciationis propugnaculum eſt, quod apud Martialem penultima producta legitur. Id ego labefactari, euerti; eorumq; rationem ſic eleuari, infirmarique poſſe puto. *Podagra, tenebræ, volucris*, penultimam breuem habẽt: quã tamẽ apud poetas plęrumq; legas productam, per regulam, quã Grammatici vocant liqueſcẽtiam;

quæ vocalem, quam liquida cum muta in eadem ſyllaba coniuncta ſequitur, ancipitem, hoc eſt, communem facit; idq; in carmine, non item in ſoluta oratione, vbi breuis ſemper eſt. Nihil ergo probant cum Martiale: Non enim facilè apparet, eam ſyllabam eſſe longam natura, quam poeta produxerit in carmine, vbi liqueſcentię locus eſſe videbatur: niſi id pręſtet analogia. Atqui analogia hic nulla: cum lingua Latina verbum, *candelo*, non habeat. Quod verò Aldus Manutius ſenior, *candelabrum*, inter ea retulerit vocabula, quę, *a*, in medio, natura longum habent, non video qua ratione: Atq; adeo ſimilitudinem, vel potius analogiam facit cum his: *lauacrum, aratrum, ſimulacrum, ambulacrum, volutabrum*. Viderint critici, quàm rectè id fecerit tanti nominis grammaticus. Nam vt detur, *a*, in *candelabrum* eſſe longum, certè non eadem ratione, qua in *ventilabrum*, *lauacrum*, & reliquis, quæ eiuſdem claſsis eſſe voluit Manutius, niſi prodeat verbum *candelo*. Reſtat igitur, vt à *candela* deducatur. Quod ſi à *candela*, quis neget, *a*, corripiendum? niſi commento quodam ab auferẽdi caſu deductum velint, atq; Varroni arroganter obmurmurare. Hæc de *candelabro*. In his duobus, quæ ſit futura obmurmuratio, qui occentus, tamquam è ſpecula quadam proſpicio, ſed propius vt ſpectentur, id ago.

XXIV.

AN rectè Nizolius in Theſauro Ciceroniano, *cauponor, & nundinor*, ſynonyma fecerit verbi, *emo*: Patiatur ne idioma, vt, ſi quis Ticinum, aut Bononiam profectus, bibliothecam inſtruxerit, dicat ſe libros *cauponatum*, vel *nundinatum eſſe*.

XXV.

INter apophthegmata Ciceceronis legitur: Cum quidã candidatus qui coquo patre natus credebatur, corã Cicerone ſuffragium ab illo peteret: *Ego quoq;*, inquit, *tibi faueбo*. Vbi ille qui conſcripſit apophthegmata; ex quo colligitur, inquit, *coce* à *coco*, & *quoq;* coniunctionem, aut eodem, aut ſimillimo fuiſſe ſono. Ego, vt dicam verè, non aſſequor, vbi ſita ſit ioci venuſtas. Nam ſi *cocus*, cum, *c*, ſcribas, inter, *e*, & *q*, erit ſimilitudo: ſin autem *coquus* ſcribas, id expoſitum oportuit, quę nam eſſet illa littera, quę pareret ambiguitatem: *c*, ne tenuiter ſine ſibilo pronunciatum ante *e*, & *i*, an *u*, ſolum perierit. Mihi ſic videtur: atque hãc veritatem eruo ex apophthegmate: Apud antiquos, *u* liqueſcens, vt vocat Priſcianus, quod perpetuò ipſi, *q*, adhęret, pronunciãdo perijſſe,

vt non audiretur: & *que* , coniunctionem ab illis pronunciatam, quemadmodum hodie Italis, *che*: ſimiliter inter *co*, & *quo*, nullam fuiſſe differentiam auditu perceptibilem. De littera, *c*, ante *e*, & *i*, rationes adhuc habeo ſuſpenſas.

XXVI.

QVid venerit in mentem Seruio, cum in Bucol. Virgil, Ecl. 1. in eum verſum.

Nec gemere aeria ceſſabit turtur ab vlmo.

Sic ſcripſit: *Turtur* & maſculino & fęminino genere inuenitur: vt hic, *aeria turtur ceſſabit*. Cur non potius epitheton, *aeria*, referatur ad *vlmum*, exigente id caſu auferendi, & ſyllabaria quantitate. Non enim nodus in ſcirpo quærendus erat, vt pentemimeris excuſaret, *a*, in fine dictionis, *aeria*: cum rectius, ac citra violentiam, ſtructura, & ratio verſus ſtaret, ſi dicas ab *vlmo aeria*: & ſi non nego ab Ouidio *auem aeriam*, *columbas aerias*, dici, quaſi per aera volantes, apud Virgilium etiam legi *grues aerias*. Cum tamen ſecundum carminis leges, *a*, in fine producendum ſit, in ablatiuo, non longè petenda erat exceptio, vel appendix. Tum etiam *aerium*, pro alto dici, multis apparet exemplis. Virgil. *alpes aerias*: Idem *arces aerias*, *aſtra aeria* dixit: Catul-

lus.

lus, *cupreſſum aeriam*: Ipſe etiam Cicero, *volatus auium aerios*, in topicis. Hęc cum ita ſint, faceſſat, quod Seruius de *turture aeria*, in eum locum.

XXVII.

RECtene Lambinus in Plauto ſit interpretatus verbum, ſubducemus, in eo verſu.

Coctam inde ſurſum ſubducemus corbulis.

In quem locum Lambinus, *ſubducemus*, Id eſt, ſeorſum ducemus. Ego vt *ſubducere*, pro *ſeorſum ducere*, elegantiſsimè vſurpatum affirmo, ita adduci non poſſum, vt credam eo ſenſu hic eſſe intelligendum. Paullò enim ante in illum verſum.

Vincite, verberate, in puteum condite:

Sic ſcripſerat idem Lambinus: Hæc erat pœna coquorum, in furto, aut aliquo alio facinore deprehenſorum. Puteus autem hic intelligendus eſt, (quod & Adr. Turnebo videbatur) non in quo ſit aqua perennis; ſed locus ſubterraneus & ſuffoſſus, & quaſi barathrum quoddam. Hæc & plura in hunc locum Lambinus. Quòd ſi puteus eſt locus ſubterraneus, atque in eo cœnam coxerint coqui, *ſubducere* hic *non ſeorſum*, ſed *ſurſum ducere* mea ſententia ſignificat: neque obſtat addita dictio, *ſurſum*, ſæpiſsimè enim ſic loquuntur boni autores, præſertim antiqui. Quemadmodum negant

Grammatici barbariem committi, ſi verbo, quod cum prępoſitione compoſitum ſit, eadem repetita denuo addatur præpoſitio: ita neque, *ſurſum*, additum verbo *ſubduco*, deturpat orationem. Adde huc, quod genus fuerit locutionis, ſi dicas *ſurſum ſeorſum ducere*? *Subducere* autem, vt ego affirmo, ea ſignificatione, qua Lambinus, vſitatiſsimum eſſe: ſic mihi concedi debet, pro *ſurſum ducere* ſæpiſsimè vſurpari. Virgil. 1. Aeneid.

Quaſſatam ventis liceat ſubducere claſſem.

Idem eodem libro.

Vrbem quam ſtatuo veſtra eſt: ſubducite naues.

Plaut. in Moſtell.

Quę ſubducta erat tutò in terra hac.

Plin. de viris illuſtr. *aciem in collem ſubduxit.*

Liuius bell. pun.

Copias in collem ſatis arduum ſubducunt.

Idem Lambinus perperam videtur interpretari, quod Cicero lib. 5. de finibus ſcripſit de *ſirenum cantu.* Ait enim in Horat. lib. 2. ſat. 3. *ſirenum cantibus* nihil aliud ab Homero ſignificari, quam diſcendi ſtudium ſciendiq; voluptatem: atq; eam fuiſſe Ciceronis ſententiam, quam ibi, vt Homero contrariam imbrobat. Cum longè diuerſum quid ſentiat ibi Cicero: cuius hęc ſunt verba: Quia multa ſe ſcire profitebantur, vt homines ad earum ſaxa diſcendi cupiditate adhæreſcerent. Quibus verbis non

ſcien-

ſcientiæ ſtudio, ſed vana, & ficta profeſsione ſcientiarum *Sirenes* virum ſcientiarum cupidũ retinere voluiſſe oſtendit Cicero: quod planũ faciunt ipſius Ciceronis verba, quę ſequuntur eodem loco: Vidit (ait ille) Homerus, probari fabulam non poſſe, ſi cantiunculis tantus vir irretitus teneretur: ſcientiam pollicentur, quam non erat mirum ſapientiæ cupido patria chariorem. Hactenus Cicero. Hinc apparet allucinatum Lambinum.

XXVIII.

REdeo ad orthographiam Manutij, cuius tanta eſt autoritas apud ætatis noſtrę litteratores, vt, ſi quid ille cenſuit, aut probauit, admirabili conſenſu, Pythagoreorum more ſucclamitent: αὐτὸς ἔφα: Id eſt, ipſe dixit: nec vlla quærunt momenta rationis: ſententiam, & voluntatem Manutij pro ratione, atq; adeò vim legis habere volunt. Is dictiones *exhodus* & *ſynhodus*, docet, cum, *y*, ſcribendas, & rectè. Quod vero adſpirationem addi iubet, quia Græcę dictionis, ὁδὸς, prima vocalis, ſpiritu denſo inſignita eſt, id concoquere non poſſum. Nam vnde in medias has dictiones ſpiritus aſper? At *methodus*, adſpirationẽ habet, inquit: Saltem in dictionibus Græcis, Græcos ſcribendo oportuit imitari. Videãt Græcæ litteraturę peri-

periti, quid ſimile habeat, *methodus*, cum *ſynodus*: ſunt quidem eiuſdem originis: ſed nemo vmquam dicet tam commodè, vt perſuadeat, has dictiones, *ſynodus*, & *exodus*, in medio recipere notam adſpirationis. *Methodus* verò recipit, ea regula, quam tradunt Grammatici: Prępoſitiones in compoſitione præfixæ vocalibus, quæ ſpiritum habeant denſum, non modò ſuam vocalem abijciunt finalem: ſed etiam mutas tenues, ipſam vocalem pręcedentes transformant in adſpiratas. Vt καθάπτομαι, Id eſt, attingo, a κατὰ, & ἅπτομαι: Sed quia ἅπτομαι ſpiritum denſum habet initio, igitur præpoſitio, κατὰ, τ, mutat in θ, vt ſic incluſũ retineat ſpiritum aſperum. Id verò ſi in, *ſynodus*, & *exodus*, facere quis velit, ridiculus fuerit, & Græcè ſic ſcribat, neceſſe erit: ἐξὁδος, σύνὁδος, vt in medio ponatur ſpiritus aſper, cui in principio locus tantum eſt. Sin autem quid tale contingat in dictionibus, vbi in medio, ῤῥ geminatum ſit, optimè, atq; adeo ex legibus Grammaticorum, ſcribenda erit nota adſpirationis: modo à Græcis originẽ habeat dictio. Gręci enim ſi, ρ, in medijs dictionibus geminetur, prius tenui, poſterius aſpero ſpiritu ſignant: ſed nihil tale in alijs litteris. Quòd verò in dictione, *Allium*, ſic ſcriptum reliquit: ſi *o Aemilij*, & *Iulij*, dixeris, Græcè declinaueris: id ego, cuiuſmodi ſit, planè non intelligo:

atq;

atque hoc locò quadrat in me, quod aiunt, *nec aures habeo, nec video*. Sed de his conſulant volumina Græcorum, quibus hæc ſtudia cordi & curæ ſunt: nec temerè ac promiſcuè omnib⁹ lapidibus habendam eſſe fidem exiſtiment.

XXIX.

AN rectè *bucina* vnico, *c*, ſcribendum eſſe moneat Manutius, fretus autoritate Iſidori. Et ſi Varronem id ſenſiſſe video; Vt à *voce*, & *cano* formatum ſit. An liceat contradicere tantis viris, cum ſint homines, à quibus nihil humani ſit alienum. *Buccina* enim duplici, *cc*, ſi quis ſcribat, propius acceſſerit ad etymon, quo geſtus exprimitur illius, qui tuba canit: Vt ſit *à bucca* & *cano*: quaſi *buccas inflans*, vel *buccis inflatis cano*. Non enim vocem, ſed flatum emittit buccinator.

XXX.

VEnio ad Quintilianum, qui modo aſſeuerat Ciceronem quantus eſt à Demoſthene ex magna parte factum: modo Græcam linguam vocat inopem adeo, vt, licet omnia Grecorum perquiras, non inuenias quid ſit *ineptus*, neq; *innocentiæ* verbum Grecè dici poſ-

ſit.

ſit. Sit hæc veluti clauſula horum problematum. Quæ tamen aliquando, ſi per otium, & molam licuerit verſandam, in volumen excreſcent, atq; ea habebunt admiſta, quæ legiſſe candidum æſtimatorem non pœniteat. Budæus libro primo de aſſe, contra hæc Quintiliani verba, ſic ſcriptum reliquit: Equidem *apirocalum* apud illos (Græcos intelligit) tam ſignificans eſſe puto, quam apud nos *ineptum*: nec minus fortaſſe *apitbanum*: & *innocentem* non meliorem *acaco* eſſe iudico. Quo verbo Areopagita, & litteræ ſacræ vtuntur, atque etiam Demoſthenes. Hæc Budęus: addit etiam verba Demoſthenis, quæ hic non adſcribo, ne in tędium vertantur ambages. Et ſubdit: Niſi ſi ſcrupuloſè ita diſcernentes, dicamus ἄκακον, *ſimplicem*, & *fraudis neſcium* ſignificare, *innocentem* autem eum, qui cum ſecus agere poſsit, intra fines tamen ęquitàtis ſe continuerit. Hic miror, cur non expreſſerit ἀβλαβὴς, qua dictione inter alios vſus eſt Plato lib. 2. de legibus, cuius etymologia eſt, ab, α, quę Gręcis eſt particula priuationem notans: & βλαβὴ, quod eſt, *damnum*. Quaſi eum dicas, qui nulli nocet, nihil adfert detrimenti. Sed Budęo fortàſſe aliter in ea diſputatione viſum eſt: neq; enim omnibus omnia ſuccurrunt, vbicumq; vſus requirit. Sed redeo ad verba Budæi: Nam (ait) ἄκακος apud Demoſthenem *circunſcribendi ignarum* ſigni-

ſignificat, & cui impoſtura non ægrè fieri poſſit. Verum eſto vt ἄκακος, ad verbum magis *innocenti*, quàm ad ſignificationem reſpondeat, ἀγνώμων, & ἐπιεικής, & καλοκάγαθος, innocentis ſignificationem non implebunt? Atqui ego hæc plenius aliquid, & exuperantius innocentia ſignificare puto. Meliora etiam his alia Cicero apud Græcos inueniſſet, ſi Græcorum partes tuendas ſuſcepiſſet. Hactenus Budæus. Quibus oppugnat Quintilianum, quòd Græcam linguam vt inopem calumniari auſus ſit, qua Latinam eſſe locupletatam ipſe non ſemel eſt confeſſus.

Hæc tibi ſic habeto amice lector, vt, quæ hic ſcripta ſunt, in diſceptatione poſita, non arbitrio meo decreta eſſe exiſtimes. Vbiq; enim aſſenſum me ſuſtinere profiteor, niſi quid probare doctorum virorum conſenſus, & quod maior pars bonorum iudicauerit, ratum habere iubeat.

Finis Problematum.

ΔΕΙΣΙΔΑΙΜΟΝΟΜΙΜΗΣΙΣ

Hoſt eſt,

DE SVPERSTITIOSA TVLLIANORVM IMITATIONE

Dialogus.

INTERLOCVTORES

Tulliomimus, Pantagathophilus, Philalethes.

Tull.

QVidnam tibi venit in mentem, Pantagathophile, cur tantopere auerſeris Ciceronem, atq; eos omnes, qui ſcripta illius admirabundi venerantur, eaq; ſibi proponunt imitanda, vt quæ ſola poſsint voti compotem facere ſtudioſum imitatorem; quæq; ab eloquentiſsimis quibuſque ita obſeruantur, vt nullius æque?

Pant.

Quidnam te tranſuerſum agit ſiniſtra de me opinio, Tulliomime, vt ea mihi affingas, quæ ne vidi per ſomnium quidem? Tantum enim abeſt, vt ego de Cicerone grauius quid aut ſenſerim, aut dixerim, vt etiam cum ſummis eum non modò comparandum, ſed omnibus in omni dicendi genere præferendum perpetuò iudicauerim.

Tull.

Atqui memini; cum dicerem aliquando. Ciceronem præ ceteris imitandum, me obiurgari à te, non ſecus atq; capitale ſcelus admiſiſſem, in quod publicè eſſet animaduertendũ.

Pant.

Vide ne perperam ſis interpretatus, quæ de Cicerone imitando ſunt à me diſputata: Nam vt ſententia pugnaci & conſtantiſsima Ciceronem ſemper aſſerui, ita ſolum cum reipub. litterarię damno imitandum negaui: tametſi non me latet candidum in eo, lene, & ſpecioſum dicendi genus, ſumma in explicando quæ velit, gratia, magna verborum, etiam quæ aſſumpta ſunt, proprietas, ſumma in illis, quæ ex periculo petita ſunt, ſignificantia, vt ipſe Quintilian⁹ teſtatur.

Tull.

Habeſne cui Ciceronem poſtponendum cenſeas? quemq; in hoc ſtadio putes illi poſſe anteuertere?

Pant.

Ciceroni pręferendum habeo neminem: Sed neq; tu inficias ieris, non paucos eſſe Latinę linguę ſcriptores, quos imitari referat non parũ.

Quem-

Quemadmodum enim apiculæ non vni, ſed multis, ac varijs floribus ſuccum depaſcuntur, vnde dulciſsimum mellis ſtipant liquorem: ſic ego non ex vno Cicerone, ſed ex multis, illiſq; pręcipuis, & (vt ita dicam) proceribus huius reipub. cenſeo cōgerendam eſſe facundię ſuppellectilem.

Tull.

Conſilium igitur eorum tibi parum probatur, qui ſe ſe totos ad Ciceronis imitationem componunt, atq; adeò tamquam ex illius viuūt præſcripto?

Pant.

Ita vrges tu, vt non liceat ſuſtinere aſſenſum. Accipe igitur hac de re ſententiam Adriani Cardinalis, quem exactiſsimi iudicij virum doctiſsimus quiſq; nominare non veretur. Ex optimis quibuſq;, ait ille, ſcriptoribus, qui ætate Ciceronis vixerunt, ſeligenda eſt phraſis. Idem alibi, neglecta malorum autorum imitatione, perfectos illos Latini candoris parentes agnoſcant, ſtudeant, æmulentur. Hic, vt ætatem Ciceronis, ita non ſolum Ciceronem dicit, ſed alios etiam non contemnendæ autoritatis eſſe imitandos: quod numerus indicat multitudinis.

Tull.

Non omnino adſtipulatur opinioni tuæ, quem mihi obtrudis, Adrianus, quemadmodũ tu putas. Nam idem eodẽ libro, vbi de modis Latinè loquẽdi agit, verborũ delectũ originem eſſe eloquentiæ, & eius copiæ principẽ fatetur, inuentoremq; Ciceronẽ. Quodſi ita eſt, cur nõ potius à principe petãtur formulę, quã aliũde? vide quam faciat tecũ multitudinis numerus.

Pant.

Priuſquam nos inuicem ſtrangulemus autoritatum fartura, diſquirendum cenſeo in imitationem, de qua tecum paucis agam: poſtea quoad ſaluo capite fieri poterit, ſuum vterq; ius experietur, ſit ne vnus deligendus, an plures ad imitandum. Quid igitur tibi videtur de imitatione? Quẽ vſũ præſtat? Quid cõfert humano generi? Quid de ea ſentiunt viri benè oculati?

Tull.

Expecto tuum de hac re iudicium: deinde ego quid ſentiam, eloquar.

Pant.

Mihi Quintilianus eam nihili aut certè paruifacere videtur: eius verba referam, ſi tibi ea audire non erit graue. Imitatio, inquit, per ſe ipſa non ſufficit: Pigri eſt enim ingenij, contentum eſſe ijs, quæ ſunt ab alijs inuenta. Quid enim futurum erat temporibus illis, quæ ſine exemplo fuerunt, ſi homines nihil, niſi quod iam cognouiſſent, faciendum ſibi, aut

cogitandum putaſſent? Nempe nihil fuiſſet inuentum. Cur igitur nefas eſt reperiri aliquid à nobis, quod ante non fuerit? An illi rudes ſola mentis natura ducti ſunt in hoc, vt tam multa generarent, nos ad quærendum non eo ipſo concitemur, quod certè ſcimus inueniſſe eos, qui quæſierunt? Et cùm illi, qui nullum cuiuſquam rei habuerunt magiſtrum, plurima in poſteros tradiderint, nobis vſus illarum rerum ad eruendas alias non proderit? Sed nihil habebimus niſi beneficij alieni, quemadmodū quidam pictores in id ſolum ſtudent, vt deſcribere tabulas menſuris ac lineis ſciant? Turpe etiam illud eſt, contentum eſſe id conſequi, quod imiteris. Nam rurſus quid erat futurum, ſi nemo plus effeciſſet eo, quem ſequebatur? Hæc ille. Huc referenda ſunt illa Horatiana:

Libera per vacuum poſui veſtigia princeps:
Non aliena meo preſſi pede: qui ſibi fidet
Dux, reget examen.

Et paullò ante, imitatores appellat ſeruum pecus. Quod Cælius Rhodiginus interpretatur, vt dicat infelicem eſſe ſupellectilem, tantum alienis veſtigijs inſiſtere. Vides quid ſentiat Horatius de Sophiſta Ægyptio, hoc eſt, de eo, qui ſemper habet ſuſpenſas rationes, quiq; ſemper aliunde pendet. Plato in dialogo de repub. eo vſq; inſectatur imitationem, vt hominū extremos dicat imitatores: neq; quē quā diſciplinarū cupidū verè dici qui hāc vel

illam diſciplinam ſequatur: ſed eum, qui hoc nomine dignus ſit, omnes diſciplinas colere, & amplecti oportere. Quamquam hoc etiam faciat contra te, qui vnius lateri fixus ita hęres imitando, vt non ſolum id ames, quod in eo perfectum; ſed quidquid, & qualecumq; in eo. Ariſtoteles agens de cauſis Rhetoricæ nihil de imitatione loquitur. Plato de arte & exercitatione tantum meminit. Rationes autem cur reijcienda videatur imitatio, afferunt huiuſmodi. Prima eſt, quòd omnis imitatio longè abeſt ab exemplari propoſito: neque enim pictura vnquam veros flores, veras arbores, & vera poma effinxit. Altera, quòd nemo eſt, qui alterius naturam ſiue dictione, ſiue geſtu queat exprimere. Huc ſpectauit Horatius, cum dixit:

Pindarum quiſquis ſtudet æmulari,
——ceratis ope Dædalea
Nititur pennis, vitreo daturus
Nomina ponto.

Cum igitur ſummos eſſe proponendos doceant, qui imitationem probant, neq; aſſequi eos imitando quiſquam poſsit: certè inanis erit imitatio. Nam ſtultiſsimus ſemper fuit eorum conatus, qui ad ea adſpirant, quę certum eſt eos numquam aſſecuturos.

Tull.

Quò magis magiſq; cogito, eò minus mihi con-

conuenit tecum. Sed autoritates, & rationes, quas partim inuerſas, partim mutilas protuliſti, pro virili reſtituam in integrum. Primùm omnium dico, nihil neq; in naturę, neq; artis operibus videas, quod ad alterius imitationem fabricatum non ſit. Vel homo ipſe ad ſummi rerum omnium artificis ſimilitudinem factus eſt. Quod ſi è medio tollere velis imitationẽ hac ratione, vt à natura dicas eſſe ad bene dicendum tributas homini dotes: colligerem ego, eas eſſe in omnibus æquales: cum nulli ſit nouerca natura, ſed ęquè omnium mater. Eodem igitur modo viderem⁹ omnes eloquentes, ſed contrarium docet experientia. Non tamen nego quoſdam eſſe igniculos homini innatos, qui ſua vi aliquid luminis præbent. Sed perfectionem pręſtat artis cognitio, & aliorum imitatio. Venio nunc ad Quintilianum, cui primus in ſerie verborũ tuorum obtigit locus. Is ad hunc modum loquitur de imitatione: Ad exemplum virtutum omnium mens dirigenda. Neq; enim dubitari poteſt, quin artis pars magna contineatur imitatione: Quod autem ait per ſe nõ ſufficere imitationem, hoc intelligas in eos dictum eſſe, qui tantũ in alienis conquieſcunt imitandis, atq; vt belluæ naribus ducuntur. Immo Quintilianus imitationi plus tribuit, quàm ipſi naturę. Similem, ait, rarò natura pręſtat, frequenter imitatio.

Idem: Non dubitari poteſt, quin artis pars magna contineatur imitatione. Nam vt inuenire primum fuit, eſtq; pręcipuum: ſic ea, quæ benè inuenta ſunt, vtile ſequi. Atq; omnis vitæ ratio ſic conſtat, vt quæ probamus in alijs, facere ipſi velimus. Sic litterarum ductus, vt ſcribendi fiat vſus, pueri ſequuntur: ſic muſici vocem docentium, pictores opera priorum, ruſtici probatam experimento culturam in exemplum intuentur. Omnis deniq; diſciplinæ initia ad propoſitum ſibi pręſcriptum formari videmus. Latinæ lyrę princeps nō id ſenſit, quod Cælius Rodiginus tibi videtur olfeciſſe: ſed genuinum ſenſum Lambinus ſagaci coniectura aſſecutus eſt, qui ad hunc modum interpretatur locum Horatij de imitatoribus. Qui nimis inſeruiunt imitationi, nec quidquam audent ab eo, quem ſibi propoſuerunt imitandum, diſcedere; & quod deterrimū eſt, vitioſiſſima quęq; emulantur: eorum duo ſunt peccata, quæ duobus his nominibus *ſeruum pecus* ſignificantur. Vnum, quòd nimis religioſè, & penè dicam, ſeruiliter imitantur. Alterum, quòd ita tardi ſunt, & hebetes, atq; peruerſi, vt eorum, quorum ſimiles eſſe, aut haberi volunt, vitia pro virtutibus imitentur: in quo pecudum ſimiles eſſe, id eſt, communi ſenſu & iudicio videntur carere. Quæ verò de difficultate in Pindaro imitando ſcribit Horatius, ad Pindari laudes ſunt referenda.

renda. Iam vero quot locis de imitatione agit Plato: qui eo ipſo loco, quem tibi patrocinari putas, imitationem intellexit: ſub exercitatione enim comprehendi imitationem, vel cęco clarum eſt. Idem in Sophiſta duas conſtituit imitationis ſpecies, vbi eã appellat ſimulacrorum effectricem. Verba eius inter alia ſunt: Vnam quidem aſsimilandi artem video, cuius opus eſt, ſecundum exemplaris commenſurationes, quo ad longitudinem, latitudinem, profunditatem, conuenienteſq; colores æmulam imaginem fabricare. Item de repub. An non animaduertiſti, imitationes ſi à teneris annis incipiant, perſeuerentque in mores & naturam abire? Rurſus de leg. Rectitudo imitationis in hoc conſiſtit: vt, quod rectum eſt, quæratur. In eodem dialogo tria docet imitationis iudici conuenire. Primùm, vt cognoſcat quid ſit, quod in imitationem cadit: Secundum, vt rectè: Tertiùm, vt benè quælibet ſimilitudo verbis, concentibus, numeris effecta ſit, nouerit. Quæ Marſilius Ficinus exponens inquit: Homines peritos atque grauisſimos requirit Plato iudices imitationis. Hinc patet, quàm verè dixeris, à Platone reprobari imitationem. Illud verò quis ferat, quod ſomnias de Ariſtotele? Arguunt verba tua nihil te legiſſe Ariſtotelis; aut certè non intellexiſſe, quę legeris. Dicis enim nihil loqui eum de imitatione.

Contra

Contra ſic habeto. In poëtica hæc ſunt Ariſtotelis de imitatione verba: Imitari hominibus à pueris inſitum eſt. Et hac re differunt ipſi ab alijs animalibus, quòd homo eſt animal maximè accomodatum ad imitandum: Et perceptiones faciunt primas per imitationem: Et gaudent omnes rebus imitatione expreſsis. Idem: Imitatio eſt aut meliorum, aut peiorum, aut ſimilium, tum quibus inſtrumentis, quæ imitetur: id eſt, quas perſonas, tum quomodo. Idẽ in Rhetoricis (vt etiam hanc tibi tergiuerſationem prȩcludam) Cum autem diſcere & admirari, & cetera id genus allicere animum, & oblectare videantur: neceſſe eſt imitationes quoq; rerum gratas, ac periucundas eſſe: picturas, ſtatuas, figmenta, & reliqua ad reprȩſentationẽ rerum expreſſa. Quamuis interim res illa, quam quis pictura, vel alio genere imitatur, iucunda non ſit: ſolet tamen imitatio ipſa, atq; expreſsio periucunda eſſe: quia videlicet non res illa, quæ fingitur, delectat: ſed affectatio artis, per quam efficitur, vt quaſi probatione quadam, ratiocinationeq; comprehenſa rei veritas & demonſtrata videatur: ita vt per hũc quoq; modum perdiſcere aliquid ſubinde contingat. Daniel Barbarus in Rhet. Ariſt. Cum verò pareat naturȩ animaduerſionem artem peperiſſe, manifeſtum eſt, cùm omnes ſciendi ardore teneantur, inueſtigationem ſequi: ab

inue-

inueſtigatione obſeruationem proficiſci: à qua deniq; omnis ars, & omnis ſciētia deducta eſt: vt quod prius conſuetudine & vſu contineretur, id eſſet poſtea artificio comprehenſum. Hæc non mihi aliò videntur referenda, niſi ad imitationem: quam ſi quis intelligi nolit, ocioſa & inanis eſſet obſeruatio earum rerum, in quibus viri inſignes & grauiſsimi apertè conſentiunt. Hermogenes Tarſenſis, quam ſibi famam pepererit Rhetoricis prçceptionibus tradendis, noſti. Ex verbis illius mihi videor colligere momenti plurimum habere imitationem ipſius iudicio, ſunt autem hæc: Nam etſi ingenio valemus, nihil tamen vtilitatis inde cepimus, niſi, quò rectè priſcos imitemur, artis documenta noſcantur. Idem de affectibus: Quod Homer' fecit, Thucydides imitatus eſt, Demoſthenes hereditario iure aſſecutus, Iſocrates quoq; tradidit. Idem de tragica orat. Tragicam orationem Homerus docuit, & Demoſthenes imitatus eſt. Quod attinet ad rationes, quibus ab imitatione abſterrentur difficultate, quod ais: ſic breuibus reſpondendum. Non propterea abijciendum quod difficile, quia deſperes te id aſſequi poſſe. Eſt enim (vt Horatius ait) *quodam prodire tenus, ſi non datur vltra*; & laus eſt non exigua ſummorum virorum virtutes fuiſſe ęmulatum, licet quod in votis erat, non contigeris: perfectionem ſcilicet,

&

& abſolutionem eorum, quorum cœperas inſiſtere veſtigijs. Ouidius excitat imitatores, quando canit decorum contendiſſe. Sed tu Pantagathophile, quid tandem ſanciendum ſtatuis de probanda & tollenda è medio imitatione?

Pant.

Eſto: demus non eſſe omnino reprehendendam imitationem, atq; finge me ſubſcripſiſſe illis omnibus, quæ ambitioſa quadam congerie recitaſti. Denuo id vocetur in controuerſiam; vnus ne, an multi ſint imitandi.

Tull.

Ego verò ad Ciceronē redeo delicias meas, & à te quęro, vbi nam ſitas habeas rationes, quibus fretus ludibrio habeas eos, qui in verba Ciceronis iurauerunt, atq; id habent ratum, quod vni probatum vident Ciceroni.

Pant.

Comminiſceris tu quiduis audacter: affingis licenter; fucatæ tuæ, & pigmentatæ eloquentiæ viribus. Sed eripiam tibi palmarium quod cauſſæ tuę deberi ſtatuis. Neq; id ago, vt te à Ciceronis cómplexu auellam: neque eſt quòd blateres ea, quibus me damnati Ciceronis reum agas, etſi ex illorum es centuria, qui

prę̄ter

præter caſam fugiunt; id eſt, qui ſtolidi, & amẽtes dum vnum vitium fugiunt, in aliud, & quidem grauius incidunt. Nam dum ego ſuperſtitionem illam in te reprehendo, qua ex vnius inſpectione Ciceronis Ariſtarchum agis, & omnẽ orationem reſpuis, vt putidam, (quemadmodum ait Budæus) quę non planè Tullianam phraſin redoleat: tu me Tulliomachum, hoc eſt, eum putas qui aperto Marte Ciceronẽ velit oppugnare, & ab illo imitando eloquentię alumnos dehortari. Sed, vt dicam quod ſentio, ſi modeſtia in te vlla eſſet, admiratorem te potius, quod Budęus docet, quàm imitatorem profiterere Ciceronis. Diuinum enim quoddam eſt illius dicendi genus: quod qui ſe imitando exprimere poſſe ſperat, is ſupra humanam conditionem videri poteſt ſpem ſuam collocaſſe.

Tull.

Fortaſſe te illorum perſuaſio obrepſit, quorum opinionem explodendam Quintilianus cenſet: qui putant mediocritatem præceptoris ad imitationem eſſe faciliorem. Id propter minorum gentium ſcriptores putas eſſe deligendos, quos imiteris: vt ita bono ſtomacho (vt eiuſdem Quintiliani verbis vtar) viuas contentus, neq; temerè ſupra vireș nitaris.

Pant.

Pant.

Stulta calliditas, peruerſè imitata prudentiam. Si corruptum haberem & obtuſum in literario guſtu palatum, tu mihi viliſsimo emptũ huius generis obſonium magno indicares: & fortaſſe turdum pacto bubulam apponeres. Faceſſe cum praua iſta & captioſa ſcriptorum inuerſione. Non enim agimus hic de pueris, qui poſt prima Grammatices elementa Rhetoricis præceptis mancipantur: de quibus agit Quintilianus eo loco, quem tu de ſorte facturus periculum mihi obiectas.

Tull.

Quorſum igitur ſunt accipienda verba illa, quibus non ſecus ac nimis audaces reprehendis eos, qui recta ad Ciceronem accedunt, ab ipſo ad bene ſcribendum, & ſentiendum ſumpturi exemplar?

Pant.

Hærem' adhuc in vado: perſtas tu in opinione, vt credas me diſſuadere adoleſcentibus imitationem Ciceronis. Quapropter altiùs repetens tecum agam diffuſius. Horatium memini prohibere in arte poetica, ne *in arctum deſiliant imitatores, vnde pedem referre pudor vetet.* Seneca vnum, tametſi pręcipuum, negat imitandum.

tandum. Quintilianus, non qui maximè imitandus, etiam ſolus imitandus eſt. Addit præterea: Quid noceret vim Cęſaris, aſperitatem Cęlij, diligentiam Pollionis, iudicium Calui quibuſdam in locis aſſumere? Hinc puto te intelligere, præpoſteram eſſe tuam in imitando rationem.

Tull.

Videtur ne tibi is deſilire in arctum, qui in Ciceronis voluminibus, tamquam in latiſsimis eloquentiæ Germanę campis, dispatiatur? Redi ad te Pantagathophile, & audi ab ipſo Quintiliano, quod intellexiſſe precium eſt operę. Ille, ſe, inquit, profeciſſe ſciat, cui Cicero valde placebit: is non pluuias aquas colligit, vt ait Pindarus; ſed viuo gurgite exundat, dono quodam genitus prouidentiæ, in quo totas vires ſuas eloquentia experiretur. Nam quis docere diligentius, mouere vehementius poteſt? Cui tanta vmquam iucunditas adfuit? vt ipſa illa, quæ extorquet, impetrare eum credas: & cum tranſuerſum vi ſua iudicem ferat, tamen ille non rapi videatur, ſed ſequi. Iam in omnibus quæ dicit, tanta autoritas ineſt, vt diſſentire pudeat. Hunc ſpectemus: Hoc propoſitum ſit exemplum. Vide quomodo cohæreant cum illis, quæ tu carptim ex Quintiliano depromſiſti. Atq; ne putes ſolos Latinos vnius

præcipui

præcipui imitationem probare: adducam tibi Hermogenem, qui idem de ſolo Demoſthene præcipit imitando, quod latini de Cicerone. Is in eo libro (vbi de formis agit orationis) loquitur ad hunc modum: Atq; eum nos maximè ſequi neceſſe eſt, qui varia oratione vſus eſt, & ex omni forma commiſta: cuius exemplo ceteras formas facilè oſtendere poterimus. Solus eſt Demoſthenes, qui præ ceteris in oratione hac miſtura & varietate vſus eſt, nec alius quiſquam, vt mea fert opinio, præter eum. Hoc igitur duce, de varijs formis dicendnm eſt, cuius nemo methodum ac iudicium improbabit. Quòd Græcus autor de ſuo Demoſthene, id Romani de ſuo Cicerone ſentiunt, ſemperque ſenſerunt.

Pant.

In furorem colluctationis te exercuiſti Tulliomime. Sed malo nodo, malus quærendus eſt cuneus. Dicis tu quidem ingenio tuo, ſed ego alieno iudicio mallem. Obgannis ſecurè nimis, & quę perperam intellexiſti, aniliter blaterando effundis. Quando non ſatis eſt tibi, ſemel audiſſe Quintilianum dicentem, non eum eſſe ſolum imitandum, qui maximè: neq; audaciam tuam retundere poteſt autorittas Senecæ. Audi etiam alia, quæ de imitatione tradit Quinrilianus: qui cum aliquot recitaſſet

primę

primæ claſsis ſcriptores, adiecit: Ex his, ceteriſq; lectione dignis autoribus, & verborum ſumenda copia eſt, & varietas figurarũ, & componendi ratio. Fierine poteſt, vt tu vnum his Quintiliani verbis intelligendum putes Ciceronem? Et quòd in Græcorum hominum monumentis peregrinatum te videri geſtis, attende quo pacto, & qua facilitate tibi anteuertam. Varietas, ait Euripides, omnium eſt voluptas. Eam in eodem ſcriptore non reperies ita, quin perpetua quædam appareat ſimilitudo. Euripides eodem de formis oratorijs libro, referente Hermogene, quem tu profers: Nos autem eos in hac re ſequemur, qui apud homines maximè approbati ſunt: quorũ quidem commentatione admodum indigemus. Quòd ſi vnus erit Cicero maximè probat⁹, nec alius quiſpiã, tuas partes tuetur Hermogenes: ſin autem, tu videris. Idem de comica oratione loquens, ait: Harum exempla partim ex Comico, partim ex vita, partim ex Rhetore capiemus. Idem: Quod enim in politica, & deliberatiua, iudicialique oratione Demoſthenes nobis erat, at Plato in pedeſtri oratione laudatiua, hoc idem Homerus nobis eſſe poterit in poeſi.

N Tull.

Tull.

Quàm ſit firma tui argumenti baſis, quam Senecæ autoritate ſat ſuperq; fultam credis & munitam, ex ipſo Quintiliano primum docebo: deinde aculeos perſequar argumentationis. Multæ, inquit, de Seneca loquens, in eo ſententiæ; ſed in eloquendo corrupta plæraque. Hic ſcilicet videtur tibi conſulendus ſuper delectu. Sed quoniam video te ſermonem, vel iurgia potius quærere: Contentioſo tenore præcinenti ſuccentiuum exibebo plectrum. Adrianum Cardinalem exacti iudicij virum paullò ante nominabas: en tibi repugnantem illius autoritatem, cui plurimum tribuis. Aliorum, ait ille, autorum lectio doctrinam quidem rerum conferre poterit, elegantiam autem, & nitorem verborum non poterit. Quin potius mixtura verborum, quibus illi vſi poſtea fuerunt, omnem propè florem incorrupti illius ſermonis, quem quis ex optimorum lectione collegerit, breui quaſi de manibus excutiet, barbarũq; omnino reddet. Deſciſce tandem à te ipſo: corneam iſtam fibram permitte molliri, & bonorum virorum ſententijs ſubſcribe.

Pant.

Reperiſti fraudis & inſidiarum in eodem veſtigio diuerticulum. Excerpis quod boni: dicis

tis quod mali, vt eſt apud Comicum. Velim me ſaltem mollioribus dictis aggrediare, ſecundum præceptum Homeri. Per autores, quorum lectio nullam præſtat orationi elegantiam, eos intelligit Adrianus, qui nunquam inter bonos ſunt connumerati. Neq; enim putes me, dum multos dico, omnes promiſcuè imitandos arbitrari. Collige te ad meliora, & tutiora propugnacula: Quod enim tibi putas aſylum, inde rationum & autoritatum viribus nullo labore exturbaberis. Audi igitur è recentioribus non poſtremi M. Antonij Mureti iudicium de illis, qui ad omnes voces nauſeãt, quas ipſi non meminerunt ſe vidiſſe in Cicerone. Ipſe lib. Var. lect. fatetur ſe diù in eo errore verſatum, vt, niſi qui aut Ciceronis ætate, aut paullò ante vixiſſent, aut certè illi ętati pares fuiſſent, non ſatis dignos arbitraretur, quorum exemplo, qui Latinè aut ſcribere aut loqui vellent, niterentur. Sed poſtea, inquit, re tota mecum accuratiùs conſiderata, viſus ipſi mihi ſum nimio plus mihi ſumere, qui de Seneca, Liuio, Valerio, Celſo, Quintiliano, Collumella, vtroq; Plinio, Tacito, Suetonio, Velleio, Q. Curtio, Lactãtio, alijsq; eiuſmodi ſcriptoribus, quos & ab ijs ipſis temporibus, quibus Latina lingua floruiſſe diceretur, propiùs abfuiſſe, & ſuo quemq; ſęculo, diſertiſſimos habitos eſse conſtaret, temerè pronunciare auderem. At

multa ſimplicia vocabula, multa etiam loquēdi genera in eorum libris leguntur, quæ apud Ciceronem,& eius æquales nusquam reperias. Hęc ille. Et ſubdit. Tot philoſophorum, tot oratorum veterum, tot poetarum, tot hiſtoricorum, tot iuriſconſultorum ſcripta perierunt, & ex fractis & laceris, quæ ad nos peruenerunt, Romani ſermonis reliquijs affirmare audem⁹, ſi quid in eis non reperiatur, id apud veteres in vſu non fuiſſe? Quanto credibilius eſt, noua multa atq; inuſitata nobis videri, quę, ſi eorum libri extarent, in frequentisſimo vſu poſita fuiſſe intelligeremus? Et paullò poſt: Quid quòd in iſtis ipſis Ciceronis reliquijs multæ ſunt voces, quę ſemel tantum leguntur? Ergo ſi paullum chartę, aut à muribus aut tineis eſſet arroſum, aut ſitu & carie corruptum, aut ſi quando ſcintilla è lucerna in certam aliquam libri partem incidiſſet, multa iſtis delicatis barbara eſſent; quæ nunc ita non refugiunt, vt inculcant. Totum id pendere intelligas è ſtulta quadam opinione. Equidem exiſtimo Ciceronem, ſi ad Quintiliani & Plinij, & Taciti tempora vitam producere potuiſſet, & Romanam linguam multis vocibus eleganter conformatis, eorum ſtudio auctam ac locupletatã vidiſſet, magnam eis gratiam habiturum, atq; illis vocibus cupidè vſurum fuiſſe. Hactenus Muretus. Iuſtus Lipſius in libello, cui titulus de Epiſtolica Inſti

tatione,

tutione, ſic loquitur de illis, qui ſolius Ciceronis gaudent lectione: Quis controuertet, quin ij legendi omnes ſint? niſi forte nuper aliquot Itali, qui in arctum reductam eloquentiam cōcluſerunt finibus tantum Tullianæ lectionis. O vani & faſtidioſi: non ſolum præter mentem magiſtrorum veterum, ſed præter rationem, præterq; vſum. Quibus adhæſiſſe olim me ſcio paullò iuuenilius, donec repreſſit & reuocauit maturioris iudicij frænum. Sic Lipſius. Sunt ne hęc idonea ad eximēdā tibi ex animo hęreſim?

Tull.

Mihi certè par ratio videtur imitationis, in arte oratoria, & pictura. Nā ſi quis velit pictor effingere imaginē, ſymmetria, ſiue malis, proportione ſibi omni parte reſpondētem: atq; interim caput vnius exprimat, & lineamēta oris imitetur penicillo: alterius autē crura, brachia, & molles (vt ille ait) imitetur ære capillos, vndiq; collatis membris: an non infelix ſit futura operis ſumma? Nam nec caput, nec pes vni reddetur formæ. Ad eumdē modū, ſi quis floſculos orationis hinc inde velit excerpere, nulla habita ratione diſpoſitionis, neq; figurę: quis nō videt diſſimillimū ſibi, ac minime cōſtans futurū dicēdi genus? Qua de re ardua & grauis magnorū virorū diſceptationibus agitata eſt quęſtio: eaq; precipuè inter Paullum Corteſium, &

Angelum Politianum. Quorum alter, Politianus ſcilicet, ingenio ſuo diffiſus ſtylum, quaſi fruſtulatim cenſebat mendicandum: & Paullum à Ciceronis imitatione deterrere conabatur: cui Paullus ingenio præſtans adhunc modum reſpondet. Nihil eſt, mi Politiane, quòd me à Ciceronis imitatione deterreas, ſed quòd potius obiurges inſcitiam, qui nequeam benè illum imitari. Quamquam ego malo eſſe aſſecla & ſimia Ciceronis, quàm alumnus aut filius aliorum. Quas afferat rationes audi: Omnino, Politiane, certis autoribus inſiſtendũ eſt, quibus ingenia formentur, & tanquam alantur. Cũ autẽ multi in omni eloquentiæ genere floruerint, memini me vnũ M. Tulliũ ex doctorũ acie abduxiſſe, in quẽ omnium ingenioſorum hominum ſtudia conferenda putarẽ: nõ ꝗ ignorarẽ, multos dicendi gloria præſtitiſſe, qui & acuere induſtria, & multis oratorijs virtutibus alere ingenia poſſent: ſed videbam hunc vnum omnium ſeculorum conſenſũ principem eſſe iudicatum: & quia à puero didiceram in omni munere ſemper optimum eſſe eligendum: corrupti ſtomachi & intemperantis ægri eſſe putabam, deteriorem cibum ſeligere, ſalutarem & optimum aſpernari. Auſim nũc etiam affirmare idem, quòd ſæpe; neminem poſt M. Tullium in ſcribendo laudem conſecutum, præter vnum aut alterum, qui non ſit ab

so eductus, & tamquàm lactis nutrimento educatus. Hæc ille. Et paullò poſt: Similem volo, mi Politiane, non vt Simiam hominis, ſed vt filium parentis. Idem in eadem epiſtola. Qui multos æmulatione aſſequi ſtudet, ei nulli ſimilis, nulli par eſſe poteſt oratio. Diſtrahitur enim humanæ mentis anguſtia autorum copia: nec hærere tranquilla in quoquam poteſt. Et cum mens diuerſis perturbata motibus, veluti æſtuantis maris iactationibus diſiecta in nullo hæret, nullum magnificum, aut ingenioſum facinus conficere poteſt. An non videntur tibi rationes ſatis appoſitę ad opinionem iſtam tuam magnis erroribus implicatam radicitus euellendam?

Pant.

Audi tu rurſus Politiani non minus elegans, quam ſapiens reſponſum: cuius orationis breuitas prolixitati Corteſianæ facilè prępóderat. Vt redeam, inquit, ad te, Paulle, quem penitus amo, cui multum debeo, cuius ingenio plurimum tribuo: quęſo ne ſuperſtitione illa te alliges, vt nihil delectet, quod tuum planè non ſit, &, vt oculos à Cicerone numquam deijcias: Sed cum Ciceronem, cum bonos alios multum diuq; legeris, contriueris, edidiceris, concoxeris, & rerum multarum cognitione pectus impleueris, ac iam cōponere ipſe aliquid parabis,

tum demum velim, quod dicitur, ſine cortice nares: atq; ipſe tibi aliquando ſis in conſilio, ſollicitudinemq; illam moroſam nimis & anxiam depónas effingendi Ciceronem: tuas deniq; vires vniuerſas pericliteris. Nam qui tantum ridicula iſta, quæ vocatis lineamenta, contemplantur attoniti: nec illa ipſa, mihi crede, ſatis repræſentant, & impetum quodammodo retardant ingenij ſui: currentiq; velut obſtant, & (vt vtar Plautino verbo) remoram faciunt. Sed vt benè currere non poteſt, qui pedem ponere ſtudet in alienis tantùm veſtigijs: ita nec benè ſcribere, qui tamquàm de præſcripto non audet egredi. Poſtremò ſcias, infelicis eſſe ingenij, nihil à ſe promere: ſemper imitari. Et hæc reſponſio videturne habere ſalis aliquid?

Tull.

Neq; tecum facit Politiani ſententia, neq; explicat, multos velit, an paucos ad imitationem proponi: ſed potius colligitur ex verbis eius, abrogandam penitus omnem eſſe imitationem, cui ſemper ſe grauiſſimum eſt profeſſus aduerſarium: & ſuopte nitendum ingenio.

Pant.

Miſſas faciamus illorū diſputationes de imitatione, circa quas controuerſiæ noſtræ haud quáquam verſatur cardo: & redeamus ad pi-

ctiuram, in qua tuo te gladio iugulandum mihi offers. Excipe ictum. Autor Rhetoricarum præceptionum ad Herennium: ſiue ille Cicero fuerit, ſiue Cornificius, ſiue alius quiſpiam; certè plurimum habent momenti, quæ ab eo ſcripta ſunt. Eius de pictura hæc ſunt verba: Zeuſis, qui veriſsimum perfectæ pulchritudinis iudicium habere potuit, cùm Helenæ ſe pingere ſimulacrum velle diceret, quinque virgines delegit forma præſtantes, vt excellentem muliebris formę pulchritudinem muta in ſeſe imago contineret. Neq; enim putauit omnia, quę quæreret ad venuſtatem, vno in corpore ſe reperire poſſe: ideo quòd nihil ſimplici in genere omnibus ex partibus perfectum natura expoliuit. Habes repoſitam tibi vicem: verſatur ob oculos, vnde erui poſsit artificium picturæ. Suntne aliæ tergiuerſationum ſtrophæ?

Tull.

Quorſum igitur Nizolius, vir vt varię lectionis, ita & diligentisſimus, & de illis, qui muſarum palæſtram recens ingreſſi ſunt, optimè meritus, in vnum volumen congesſit formulas ex omnibus Ciceronis monumentis? Mihi ſic videtur: vt adoleſcentes, tamquam in numerato haberent verborum delectum, quem Cicero probauit, & quo vno, reliquis poſthabitis, eſt delectatus.

Pant.

Mirabar niſi te propoſiti victorem putares, hoc ſubſcriptore. Nizolij obſeruationes in Ciceronem (quàm ſit appoſita inſcriptio, viderint critici) an eum vſum præſtent aſſeclis eius, quem ſperant, neſcio. Ego certè nolim in eorum eſſe numero, qui hunc Ciceroniani ſtyli tamquam promum condum habent, & pręclarè ſecum agi putant, cum ab eo ſuum demensũ accipiunt. Verùm ne maledicendo malè audiam, ſatis ſit tibi, me cum vno Horatio errare malè, quàm cum ſexcentis Nizolijs rectè ſentire; ſi eo animo Nizolius ſuſcepit opus tam laborioſum, vt ab aliorum autorum lectione auo caret adoleſcentes: ſed non arbitror eſſe tenebras (vt ita dicam) in Nizolio, quin potius in iudicio eorum, qui perperam intellexerint conſilium Nizolij: non enim adduci poſſum, vt credam, ita Ciceronem à Nizolio propoſitum ad imitationẽ, vt ceteros omnes mucoſum vulgus cenſeret, qui non eius officinę notas, & ſtigmata pręſeferrent, quod nihil aliud eſſet, quàm præbere ſe inter varias delicias (vt Budęus ait) faſtidioſè delicatum.

Tull.

Planè olet maleuolentiam iſte verborum tuorum ſonitus, quem improbè iactas in Nizoliũ,

ad

ad obſcurandum induſtriæ eius ſplendorem.

Pant.

Dij meliora: prodiorthoſin requirebat oratio tua ſtomachabunda,& ſales dentati.Siccine maleuolentiam vocas veritatis confeſsionem? Obduruit tibi ceruix: nimis obfirmata eſt tua opinio. Gratioſa eſt apud te Tullianorum appellatio,& profeſsio ipſa ſola nominis cõmendatione palmaris:ſed caue ne tibi veniat vſu, quod Hylæ,Pyladis Hiſtrionis diſcipulo:qui cũ Oedipodem iam cęcũ ſaltando exprimere deberet in ſcena, oculos habes apertos, audiuit. Redigis mihi in memoriã tripartitam illam hominum diuiſionem Phauorini: qui alios ridiculos,alios odioſos, alios dixit miſerabiles. Ridiculos putabat, qui ambitiosè ad maiora aſpirantes nituntur ſupra vires: odioſos, qui ea conſequuntur: miſerabiles, qui ſpe falluntur. Te ridiculum videmus iampridem: miſerabilem docebit euentus. Dum enim Ciceroni exprimendo te totum addicis, periculum eſt, ne frigidus euadas,& elumbis: ſicq; te Cacozeliæ reum faciat Adrianus ſophiſta. Quaſi verò Delphici Apollinis oracula ſint verba Ciceronis: quaſiq; ipſe non ſit homo, & proinde non erroribus obnoxius. Experſne eſt ille condicionis humanæ? Nihilne in illo, quod reprehendi poſsit? Suntne in eo omnia eiuſmodi, quę in

Saturni Iano collocari, hoc eſt æternitati conſecrari mereantur? Ego numquam vſq; adeo ſacroſanctam Ciceronis autoritatem, neq; tam pręſens veritatis numen exiſtimaui, vt eius culpam obruendam ſilentio duxerim, ſi qua deprehenderetur.

Tull.

Eò prouectus es audacię, vt etiam (ſi dijs placet) ipſum Ciceronem inſimulare erroris & vitiorum non te pudeat: qui externarum diſciplinarum ornamentis domeſticam eloquentiam inſtruxit: qui cum Græcorum principibus tam felici, quàm ſtrenua æmulatione certauit: quod de eo prædicat Budæus in ſuis commentarijs: qui deniq; Latinæ linguæ, eloquentięq; Romanæ parens ſalutatus eſt.

Pant.

Quæſo te, Tulliomime, an non, ſi contingeret tuo Tullio, vt rediuiuus degeret inter mortales, tu piaculum putares, vel latũ, quod aiunt, vnguem ab illo diſcedere, quod is ratum haberet? nonne vocis affectata ſimilitudine, blęſum, aut balbum, ſi talis eſſet Cicero, etiam tu ageres? atqui non ſunt religiosè neq; quaſi ex ſuperſtitione in templo horrenda cuncta & adoranda in illo: vt ait Plutarchus. Tum quid tibi videtur de genere ſalutandi, quod præfi-

xum

xum epiſtolis Ciceronis videmus? In quibus, ſiue ad æquales, ſiue autoritate præſtantiores ſcribat, priori loco ſuum, poſteriori illius nomen ponit, cui litteras deſtinauit: in eo etiam imitaberis Ciceronem?

Tull.

Quidni? Quãdo linguę Latinæ maieſtas nullum admittit aſſentationis genus: Neq; hic ſentio cum Ariſtotele, qui iucundam ait eſſe aſſentationem, & adulatorem ſuauiſsimum aurium comitem. Malo ego propter excellentiam ſermonis in hominum admiratione eſſe, quam loquendo in gratiam alicuius deflectere à laudatę conſuetudinis tenore.

Pant.

Iam ſatis apparet te inſanire: detexiſti amẽtiam tuam: atq; adeò ex hac re mihi venit in mentem iocus Ciceronis, in oratorem quendam tui ſimillimum: qui neſciens effectum rhetoricæ eſſe audientium approbationem, cum floſculis, & picturata oratione Senatorum animos permulcere conaretur, ita eos irritauit, vt ipſe cum floſculis ſuis & oratione fucata exſibilaretur. Patres enim, cum dixiſſet, conſcripti, ne dicamini circumſcripti, commotus Senatus è medio abire iuſsit præpoſterũ oratorẽ: tũ Cicero, nõ mihi tãti fuiſſet paranomaſia:

vt

vt ſcilicet, ita adornarem ſtylum, quo audientium animi offenſi à me alienarentur. Potius habet Cicero venerem perire orationis, quam cauſſam.

Tull.

Expecto quò tendas, & quid tibi velis.

Pant.

Quòd ſi tu, qui in Nizolianam diſciplinam dediſti nomen, & qui maieſtatis linguæ Latinæ ſuperſtitioſus aſſertor, *& rigidus es ſatelles* (vt Lyrici verbis vtar) ambitioſo verborum delectu, priori loco tuum, poſteriori principis alicuius nomen ſcriberes, cui libellos ſupplices exhiberes; quo ille offenſus negaret ſe conceſſurum quod peteres, & tu repulſam paſſus abires inanis: egregium te, & peritum artis perſuaſoriæ magiſtrum: qui putas eo fieri iniuriā Latini ſermonis elegātię, atq; violari leges artis oratoriæ; ſi quis, quemadmodum Cicero ſuæ ętatis moribus vixit, ad hodiernos ſe ſe mores accommodare, atq; his vti velit in ſcribendo formulis.

Inuictiſsimo Cæſari Fabius.

Ampliſsimo Cardinali Paullus.

SEd quando eò producti ſumus, vt de ſtupidis imitatoribus agendum ſit, libet te conferre cuidam nouo præconi: cui artis illius, qua tolerare vitam conſtituerat, tyroni, ac quærenti ab amicis & familiaribus, quomodo exactè illa omnia poſset prçſtare, quæ præconis officiũ requireret; reſponſum eſt, nihil omittendum eorum, quę à tabellione verba prçeunte eſſent prolata. Hic bonus ille præco, ingenio rudis, atq; hebes, ſatis ſuperq; ſibi dictum putans, quaſiq; de re benè intellecta ſibi plaudens & geſtiens, ita ſe ad tabellionis geſtum & pronunciationem compoſuit, vt vel ſuſpiria & ſcreatus effingere cogitaret imitando. Cum igitur ventum eſſet ad roſtra, cumq; explicatis tabulis, quibus continebatur ędictum, quod fortè erat publicandum, dixiſſet tabellio: Age incipiamus, & exequamur mandata: prçco, Age, ſubſequitur, incipiamus, & exequamur mandata.

Tabel-

Tabellio ſtomachabundus malum præconi minitatus, faceſſe, ait, ad coruos. Hic ille, faceſſe ad coruos. Cum ita tertiò mimiticè expreſsiſſet verba tabellionis præco, tabellio ægrè ferens adſtantium riſus, & ſannas, relictis, qui ab ore eius pendebant edictum expectantes, e medio abijt. Tu Tulliomime finge te eſſe præconem illum: mihi tabellio erit Cicero, quem audias verba præeuntem.

Tull.

Garrias quæ voles: Marcus Tullius Cicero meæ deliciæ erunt: in huius voluminibus me ſecurum omnium, tamquam puerulum videas aut in cunis vagientem, aut in ſuauiſsimæ nutricis complexu luxuriantem. Hic primus Latinæ facundiæ pomœria produxit: pares hic fortaſſe aliquos, ſed admodum paucos; ſuperiorem habet neminem. Hic non tantum quod optimum fuit in vnoquoq;, conſecutus eſt ſtudio: ſed vel plurimas, aut potius omnes, ex ſe ipſo virtutes extulit. Huic nō hominis, ſed eloquentię nomen deberi ipſe Quintilianus fatetur. Agat te trāſuerſum inconſulta eruditionis affectatio: me profectò non effeceris illum ſuaſu tuo, qui omnia miretur, quiq; ſe omnibus accomodet, cuius ſit iudicium per gloriam mancipatum ab heroicis nominibus: quomodo Plutarchus ait. Sed mihi vnus omnium inſtar erit

Cicero: figura Ciceronis erit mihi Themiſtoclis pictura textilis, vel textura potius, picturæ varietate diſtincta & viſenda.

Pant.

Tuo igitur iudicio perperam inſtituit Diogenes Xeniadę Corinthij liberos; qui curauit, vt illi ex poetis, alijſque ſcriptoribus optima quæq; ediſcerent. Siquidem tu eos, quantum ex ſapore tuę orationis coniecto, vnius Ciceronis pabulo, ad nauſeam vſque ſaturaſses. Sed meminiſti ne te aliquando audire, quod aiunt officium variari circumſtantijs?

Tull.

Apertius, bone vir: ſuſpicor me irretiri paralogiſmo. Cauene altiùs initium rei demonſtrandę petas, quàm ratio iuris, & natura cauſſę patiatur.

Pant.

Quod per ſe honeſtum, id non factum ſuo loco, & tempore, ſpeciem induit turpitudinis. Id vt planius tibi fiat, illuſtrabo exemplorum congerie. Num requirit naturæ neceſsitas, vt ſatur aluum exoneres?

Tull.

Nimirum: niſi velis crepare.

Pant.

At ſi velis more Diogenis in medio foro, frequenti hominum cœtu huic neceſsitati parere, nonne fuerit turpiſsimum?

Tull.

Quid ni?

Pant.

Ad hęc iura genialia reddere, vt eſt apud Horatium: hoc eſt, cum vxore rem habere, cauſſa procreandæ ſobolis, non modo non turpe, ſed etiam laudabile: vt quod à D. O. M. inſtitutum. Sed ſi tu exemplo Cynici hominem plantare velis in propatulo: quid æquè obſcœnum aut magis damnandum?

Tull.

Nihil prorſus: ſed quorſum iſta? Ad ſcenam redi.

Pant.

Eò ſpectant, vt intelligas Ciceronem imitari, & quoad eius fieri poſsit, verba, ſententias, & œconomiam orationis eius effingere, tantum habet laudis, vt nihil ſupra. Sed ex illo ſolo petere loquendi formulas, nefas putare ſi quis Ciceronis veſtigia relinquat, tã eſt abſurdum,

quam

quam quod maximè. Hoc illud erat, quod dicebam, licet honeſtum, non ſuo loco, & tempore factum, honeſti naturam amittere: vt, ſi quis te iubeat aliquem habere carum, tu continuò ceteros omnes odio habendos eſſe intelligas. Semel dicam: ſcire par eſt, quatenus Ciceronis veſtigijs inſiſtendum. Atq; vt tibi ſuis pictum coloribus ob oculos ponam errorem tuum: fac velit aliquis à te audire prolata Latinè omnia illa, quę ad religionem noſtram pertinent: quibus in re diuina peragenda ſacerdos vtitur: vel alia quædã, quæ Ciceronis ætas non vidit, & quæ propter ignorationem rei ipſius antea nomen non habuerint: petitis à ſolo Cicerone formulis, quomodo id præſtabis? vereor ne eò dementię peruenias cum tuo Tullio, vt propria Chriſtianæ fidei, & Chriſtianorum rituum verba refugias & contemnas, veluti non ſatis Latina; atq; in illorum locum ſubſtituas ea, quæ impietatem oleant. Quod de tuæ centurię hominibus elegantiſsimè ſcripſit Muretus: vt ſcilicet pro Chriſto Iouem optimum maximum, pro Angelis Genios, & alia magis Ciceroniana quàm Chriſtiana dicas. Quam videor mihi audire D. Auguſtinum, qui te cum tuo Cicerone iubeat faceſſere, ſi fortè audeas ſacrę ſcripturæ vocabulis obmurmurare: ſiue illa pridem ſint ab Apoſtolis, ſiue ab illis ſcripta, qui hodie in nauicula Petri aſsident clauo;

hoc eſt, qui in eccleſiaſtico imperio moderantur rerum habenas.

Tull.

Summam eſſe tuorum ſophiſmatum intelligo, vt multos habeam propoſitos, ad quorum exempla dirigam ſcripta mea: contra ſentit ipſe Cicero in lib. de oratore: ſi quid illi putas tribuendum. Tum, inquit, accedat exercitatio, qua illum, quem antea delegerit, imitando effingat, atq; ita exprimat.]Hic non poteris mihi obijcere multitudinis numerum: niſi velis in ipſa ſcriptura mendum ſuſpicari. Quintilianus demum, ſi ex ſingulis, ait, phraſes & quidquid ad ſtructuram orationis pertinet, elegeris; ſummam conflare operis, & conſtitutionem abſoluere non poteris: cum in minutisſimis particulis deſcribendis atq; ornandis tolerabile ſit ſtudium tuum. Non enim vnius autoris, illuſq; pręcipui ſolidam œconomiam in opere conſideras. Promam etiam auguſtiora teſtimonia, quibus tibi omne effugiũ & latebras intercludam. Prodeat mihi Plato diuinus meæ ſententiæ adſtipulator: qui ſplendore ſuo quotquot autoritates mendicitate congesſiſti, præradiando obſcuret. Eius in dialogo de repub. hęc ſunt verba: Si quis plura aggrediatur in ſingulis ita deficiet, vt in nullo euadat egregius. Plures nemo poteſt æque ac vnum benè imitari:

ri: neq; erit idoneus imitator, qui id facit: & erroneus erit in facultate æmulatrice. Et paullò poſt: Videtur mihi vir moderatus, quando in narratione deuenerit ad aliquam viri boni vel orationem, vel actionem: perinde ac ſi ipſe ille eſſet pronunciaturus, & ſine vllo rubore, aut dedecore imitationem huiuſmodi ſuſcepturus: videturne tibi ſenſiſſe Plato ſexcentos eſſe imitandos? Redeo ad Quintilianum: eum (ait ille) nemo poteſt ęquare, cuius veſtigijs ſibi inſiſtendum putat. Neceſſe eſt enim ſemper ſit poſterior, qui ſequitur: & minor ſit imitator eo, ad cuius ſe componit ſimilitudinem. Si igitur ego relicto Cicerone, alium fuero imitatus, qui Cicerone inferior ſit; neque aſſequar, quod in illo perfectionis: certè quam longisſimè abiero a Cicerone, vt ne veſtigium appareat locutionis Tullianę: tu verò, qui innumeros tibi ſumis eodem tempore imitandos, quam figuram expreſſeris? Timendum tibi, quod Horatius tui ſimiles cauere iubet: ne ſcilicet riſum moueat cornicula, ſi quando aues repetitum pennas veniant. Ecquid expectas, quin des manus, & fateare te cauſſa inferiorem?

Pant.

Non dubito quin exiſtimationis periculum, & iuris dubitatio retrahat arbitrũ à præcipiti

ſententiá, & tardiorem faciat ad iudicandum; cui veritatis amor dedit nomen. Quæro interim à te, qui tuo iudicio in cauſſa es ſuperior, & mihi litis æſtimationem obeundam certò ſtatuis; poſsim ne translatione vſus in integram defenſionem deſcendere? Eſt ne pronunciata ſententia verbis ritè conceptis? Quamquam non neceſſe habeo pluribus te conuincere teſtibus, & Platonis teſtimonium inuerſum in integrum reſtituere quilibet facilè poteſt. Iſocratis tamen autoritas non eſt prętermittenda, qui ad Nicoclem ſcribens dicit: Quorum gloriam miraris, eorum res geſtas imitare: illos ſapientes exiſtima, qui de maximis rebus egregiè dicunt. Neq; hic tibi datam eſſe anſam putes, quòd Cicero egregiè dixerit de maximis rebus. Numerus enim multitudinis præripit tibi, quam in manibus eſſe credebas redarguendi occaſionem. Quintilianus, quem ſiniſtra ratiocinatione conſtantem fingis tuę cauſſę aſſertorem, fateor, dicit, plures legendos eſſe, quàm à me nominabuntur. Facitne ad palatum tuum hic trochiſcus? Quàm verò vnius imitationem probet Cicero, ex eo collige: quòd vel à palæſtritis, & comœdis iudicat diſcenda, quæ ad pronunciandi ſcientiam pertinent. Idem nihil florere ſemper; ætatem dicit ætati ſuccedere. Horatius nos & noſtra canit deberi morti, & verborum veterem ætatem interituram.

Quid enim vetat, quemadmodum Pacuuij, Ennij, & Lucilij ſcripta hodie, vt obſoleta reſpuuntur, quò minus olim in deſuetudinem abeant, quæ nunc ſunt in honore? Quod ſi contingat Ciceroni, te viuo: quà lingua, quo idiomate blaterabis? quibus verbis aut ſignis, quæ animo conceperis, declarabis? Quid de te futurum eſt, o ſimia Ciceroniana? Vide quomodo cogitem de facienda deditione: quàm rectè tabulas auerteris.

Tull.

At difficillimè coguntur in ordinem exempla, quæ à multis, ijſq; inter ſe diſsimilibus, ſunt ſumta.

Pant.

Quid ſi ne ipſum quidem Ciceronem dicam vſquequaq; imitandum? quid ſi illa quę in Tuſculanis quęſtionibus ipſe omnibus numeris abſoluta breui prædicit interitura, etiam acceſſionem patiantur?

Tull.

Quæſo, Pantagathophile, confligamus leuiori actione: & ſi quis tibi videtur idoneus ad controuerſiam noſtrā arbiter, deligamus eum, atq; veluti ex ſponſione ſubſcribamus ſententię illius.

Pant.

Philalethes veritatis amantisſimus ex ęquitate iudicat omnia. Is, ſi tibi ita videtur, vtriuſq; conſenſu diſpunctis rationibus quæſtionem tollat controuerſam. Huius tribunali nemo poterit offundere caliginem: eſt enim non ſolum in arte differendi benè verſatus & exercitatus, ſed ea etiam fide & probitate, vt quid ſentiat, vni addictus veritati, omnibus affectionibus depoſitis, liberè pronunciet. Hęc mihi expeditisſima litis dirimendæ videtur ratio. Huius quaſi tibicinis modulatio coget nos in gratiam. Te ferimus iudicem, Philalethes: nefas ſit nobis, ab eo diſſentire, quod tua ſententia fuerit probatum.

Philalethes.

QVòd tantum mihi tribuit vterq; veſtrum, vt veritatis retinendę cauſſa meo decreto controuerſiam diſtrahendam cenſeatis, ſemper mihi putabo honorificum: atq; in eo veſtram in me beneuolentiam agnoſco, neq; puto in re aperta & ſimplici, excellens ingenium requiri. Sed nolim interea putetis meo compendio me prouinciam hanc ſuſcipere: neue contentionū, aut conuiciorum me iudicem habeatis: ſed ſingula-

gularem, & conſtantem æquitatis aſſertorem; qui nolit per rationem fiduciæ quempiam frau dare. Primum igitur omnium ne vos lateat, in delectu aurium quoddam iudicium adhibendum eſſe, quod non arte aliqua perpenditur, ſed quodam quaſi naturali ſenſu, prudentiaq; percipitur: tum paullò diutius audierit, neceſſe eſt, de arte. Dephendet certè alium alia conſecutum, & quæ ex arte ſcripta ſint. Hæc prȩfatus meam dicam ſententiam. Tu, Pantagathophile, nomine quidem bonis omnibus videris fauere: ſed re ipſa in Ciceronem valde es iniquus ſedulò licet muſſites. Nam qui ſummorum, & ſapientiſſimorum virorum calculo in omni dicendi genere primas tenet: ad quem doctiſſimus quiſq; palmam defert, in cuius figura omnes, vt omnibus numeris abſoluta, conquieſcunt: in eum ita inueheris, ita debaccharis accerſito hinc inde orationis fuco, vt in proletarium quemdam huius ordinis, aut in eum, qui vix ſit dignus vt in album eloquentiſſimorum referatur. Vt enim ex animo dicam, quis vmquam vllo ſeculo fuit liberaliori, aut beatiori ingenio ad exprimendos cum audientiam admiratione animi ſenſus? Quis felicior in verborũ inflexionibus nouandis? Quis publico vſui accomodatior? Quis forenſis, & cõſiliariȩ facũdiæ vires, opes, & autoritatẽ maiori induſtria, ingenijq; dexteritate locupletauit?

Qui

Qui immortale de ſemetipſo monumentis con ſignatum reliquit elogium: qui in elocutionis vi atq; ornatu primas & ſecundas laudis partes citra controuerſiam tulit: illi ne te oſtendas improbè inimicum? Ab hoc vno niſi linguæ Romanæ proceres luculentas, vt à Budæo accepimus, feciſſent verſuras, exemplumq; ſimilia audendi poſteris prodidiſſent; vocum vtiq; & figurarum egentem nunc ſermonem Latinum inopemq; haberemus. Vnus Cicero victoriam Græcis, tamquàm de manibus extorſit: qui ignauum eſſe ratus in illa maiorum ſimplicitate acquieſcere, quæ illos à Græcis mutuatos nouerat, quęque idem ipſe tamquam vtenda rogauerat, abiurare poſteritatem ſuam docuit, pro ſuiſq; tueri & poſsidere. Si igitur alterutra ſuſcipienda ſit, tolerabiliorem cenſeo voluntariam Tullianorum ſeruitutem, quàm licentiam ſecuram erudito indecoram, atq; indignam litterarum bonarum profeſsione. Neque tibi interea, Tulliomime, tamquam de hoſte proſtrato triumphandum: qui inter iſtos lautioris eloquentię inſtitores, Tullianas voces induſtrię quadam iactatione, ſolas eſſe Latinas, aut germanæ notæ cenſes, quas veluti nummularij numiſmata adulterina, aut ſubærata, aut inferioris indicaturæ, tinnitu aut coticula deprehendunt, auditu, cum quidpiam recitatur, internoſcere tibi videris. Tam ex Ciceronis

ęqua-

æqualibus, quàm ex ipſo Cicerone diſcēdam probat Adrianus veram Latinitatem: quam incorruptam loquendi obſeruationem dicit ſecundum Romanam linguam. Addit, illuſtria verba ex optimo quoq; autore legenda eſſe, vt Latina & elegans ſurgat oratio, quòd mihi videtur ſenſiſſe cum viris emunctę naris. Nam ſunt alijs alia honeſtiora, ſublimiora, nitidiora, iucundiora, vehementiora, vocaliora, ad compoſitionem magis concinna. Et ſi tantum Ciceronianam phraſim putemus legitimam propter perfectionē, ceteros ſpurios profiteamur neceſſe eſt. Quæ iniuria quid vltione dignius? Adhæc cum ingeniorum ſit maxima diſsimilitudo, & habitus tam multiplices, tamque diuerſi, vt ſuam quiſque naturæ indolem & propenſionem imitetur, quomodo ſperemus iiſdē orationum formis, eadem œconomia proferre animi ſenſa? Atqui (dicat quiſpiam) quemadmodum in eundem agrum multa inter ſe inimica ſparſa ſemina parum vtilitatis afferūt ſatori; ſic verba diſſimilis generis vndiq; commiſta deturpant faciem orationis. In promendo iudicium requiro, in condendo ſedulitatem. Quod ſi fiat, omnis generis autorum lectio dabit ſermonis elegantiam, & proprietatem: ſiquidem alijs verbis multa eloquantur poetæ, alijs oratores. Sunt, & ætatibus ſua quædam peculiaria vocabula. Optima igitur ſeligenda:

ſelecta qualiacumq; fuerint, in congeriem addenda: neq; vox vlla reijcienda, quæ modo apud ſcriptorem non omnino peſſimum reperiatur. Nullum enim verbum eſt, quod non alicubi ſit optimum, modò in ſuo veluti grege repoſitum accerſatur, quando vſus venerit. Meminiſſe pareſt, quæ de vno, aut pluribus imitandis ſenſerit Autor ad Herennium, ait enim: Intereſt magni eius, qui diſcere vult, vtrum vnum omnia, an omnia neminem; ſed aliud alium putet conſequi poſſe: idem: Neceſſe erit eum, qui diſcet, ab omnibus putare omnia: ab vno pauca vix potuiſſe ſumi. Nam ſi vnius alicuius eſſe ſimilem ſatis habebit, omnia, quæ omnes habuerint, ſolum habere ſe poſſe diffidet. Hoc ſignieſt, ipſos artis ſcriptores non putaſſe vnum potuiſſe in omnibus elocutionis partibus enitere. Quoniam non vnius alicuius, aut duorum; ſed ab omnibus oratoribus, & poetis exempla ſumpſerunt. Vnus omnes artis partes conſequi nemo potuit. Hæc ille. At ne putes in me quadrare hieroglyphicum Cameli ſimulacrum de imperito diſceptatore, qui diſtinguendi, & ſeligendi rationis ignarus, ſacra profanis, humana diuinis nullo diſcrimine permiſceat: cum multos dico imitandos, non etiam peſſimos intelligo. Redeo ad Cenſores Tullianos. Quid per Deũ immortalẽ, moroſius? quid nomini Latino calamitoſius, quàm ſi cui

verbum

verbum aliquod exciderit, quod (ſi autoritatē, quaſiq; legē ſermonis ille poſcatur) tueri exēplo nequeat, quaſiq; Tulliano patrocinio, è cādida ſtatim claſſe ſcriptorum amouendus ſit & expungendus? Quòd ſi ea mente (vt prēclare Budæus) Cicero ſtudium eloquentiæ ſuſcepiſſet, ſi in ea ſententia fuiſſet, vt vnius Demoſthenis ſimulacrum effingere omni opera contenderet, in cuius admiratione permultus erat, potius quàm vt conſilio cū natura deliberato, ipſe à ſingulis vniuerſisq; eligeret, quot ſēſibus ſuis conſentire, & à ſtomacho non abhorrere intelligeret: quonam tandem modo vim ipſe Demoſthenis, copiam Platonis, iucunditatem Iſocratis effinxiſſet? Non igitur audiendi ſunt, qui cenſuram ſtyli, & dictaturam gerunt, cum ad vnius Ciceronis exemplar dirigere omnia volunt. Atq; meo quidem iudicio non rectè animum iſti deſperatione fractū obijciunt Angelo Politiano, viro in paucis erudito & eloquenti: quem dicunt impulſum diffidentia ingenij vnum Ciceronem imitandum negaſſe. Ne pigeat eloquētię ſtudioſos materiem priſcam & probā in vſum præſentē conformare: auitamq; ſuppellectilē & obſoletā aptè conuenienterq; noſtro tempori reconcinnarē. Malignè illi & præpoſterè videntur mihi de litteris mereri, qui linguæ Romanę pomœria anxiè & cupidè contrahere & circumcidere volunt: & dum ſe finito-

finitores linguæ Latinæ nullis adhuc terminis circumſcriptæ profitentur, improba religione ſtudioſorum animos obſtringere. Ne ipſe quidem Cicero tam religioſus, aut in verbis legendis fuit, aut in omni dictionis parte, quàm iſti nos eſſe volunt, quibus in illa claſſe emunctorũ ſacramento rogari contigit: qui ea protulerit nomina, quorum catalogum videas apud Budæum: quæ ſuperciliοſis iſtis quincuncialibus triuialis eſſe monetę putantur, & ſordidę: dum formam & rationẽ Tullianæ dictionis animo penitus percepiſſe, memoriaque ſibi videntur eſſe complexi. Iam verò quas turbas daturi ſint, quas tragœdias excitaturi, ſi quis obijciat, neq; Mar. Tull. vnum omnia vidiſſe, nequequam inexhauſtam dicendi copiã animo conceperat, monumentis ſuis conſignatã reliquiſſe: quod ſi conſignatã eſſe demus, ad ętatẽ noſtrã non eſſe aſſeruatam: quin, ea quæ nobis verſantur in manibus mutila, & manca, quotus quiſq; eſt, ſeu verius, quiſnam ille eſt tam arrogans, qui ſe omnia tenere memoria profiteri audeat? Si autem quis cum iudicio & attentiori cura intueatur variorum ſcriptorum varias, & prope repugnantes inter ſe orationis formas, facilè inueniet ſuum quemq; genus ſecutum, propriã dicẽdi figuram, vt ſingulorum natura poſtulat, poſſediſſe. Ita vt hic ſuauis, ille acutus, alter grauis, alter ſonorus, alius aſper, ſubtilis alius

videa-

videatur, & ſuo quiſque in genere princeps. Sed qui ęquè in omnibus his excelleret, non fuit adhuc, qui hanc ſibi laudem tamquam iure ſuo popoſcerit. Dionyſius Halicarnaſſeus Lyſiam eo nomine commendat, quòd tropis abſtineat, & ſimpliciter res indicet: nec tamen eo modo rerum magnitudinem imminuat: adeo vt circumforanea veſte & triuiali cultu ornamentum rebus afferat, & perſonis. Huic ſententiæ è diametro oppoſita videtur illa Ciceronis de oratore: tam parum conuenit inter autores maximos de ratione dicendi: alijs alia probantur. Hoc igitur me iudice conſtituatur iuris in repub. litteraria: hęc ſit tamquam Cretenſium rogatu lex ſancita: atq; ita inter omnes huius ordinis conueniat, vt nemo iuſiurandum concipiat in verba ſolennia, mordicus ſe retenturum opinionem, quæ ſemel inſederit. Dolus malus abeſto ab eloquentiæ candidatis: ſincera ſit alienę eruditionis æſtimatio. Qui maximè concupierit ingenio & induſtria clareſcere, non vnius, ſed omnium bonorum ſcriptorum volumina euolat. Sed vt, quatenus id fiat, intelligatis: diſcrimine temporum tripartitam facio imitationem, quod à viris benè doctis factitatum vidi. Sit prima puerilis imitatio: creſcens ſecunda: adulta poſtrema. In prima illa probetur omnibus recentiorum quorumdam Italorum hæreſis: & Cicero præcipuè

& ſolus legatur: idq; ea cauſſa; vt vno quodam habitu, & quaſi æquabili filo, veluti corpus formetur contextus orationis. Hinc fiat initium formandi eloquentiæ corporis: conquirantur deinde varia pigmenta: vitetur ſiç incompoſita ſtyli forma. In creſcentem & iuuenilem alij accerſantur, ſed per gradus; illi ſcilicet qui minimùm abiere à Cicerone, quiq; eamdem referant felicitatem ſcriptionis. Quinam ſint illi, ne quærat à me quiſquam: præfinitam enim mihi ipſe iudicandi formã volui. In tertia imitatione, quam adultam vocare placuit, copiam facio imitatori per omnem genus ſcriptorum liberè vagandi, vt ex diuerſiſsimis floribus eloquentiæ nectat corollam: ita tamen vt ad optimorum exemplar, quam maximè poſſit orationis ſuæ genus conformet. Ex optimis belliſsimum quodq; carpat: quo quiſq; maximè excelluiſſe videbitur, id imitari atq; exprimere conetur. Quod ſi pro ſe quiſq; ſedulò fecerit, & ſi eodem modo ſibi ius dici nemo ægrè tulerit, quo ille alios iudicauerit grauiſſimè & ampliſsimè res litteraria, ſummaq; cum dignitate conſtituetur. Dixi.

Pant.

Quid tibi videtur Tulliomime? an non ſatis obſtructa eſt via diſceptationis hac Philalethis ſenten-

ſententia? ſtandumne cenſes illius iudicio?

Tull.

Ego verò habeo ratum, quidquid decreuit Philalethes: ſententiam eius vt veram agnoſco & amplector: idq; eò magis, quod furorem tuum in Ciceronem concitatum, iam video compulſum in rationis gyrum.

Pant.

Nihil diuerſum à ſententia mea, neq; à rationibus meis abeo audiui. Gratulor tamen vtriq; noſtrum ſedatam diſputationem, quę ita comparata primùm erat, vt non tàm opinionũ diſſenſione inter nos, quam animorum contentione diſcrepare videremur. Reſtat vt abeunti bonas aues precati inter nos agamus, ſi quid videtur in ipſius Ciceronis ſcripta diſquirẽdum: ſed paucis.

Tull.

Vnus atq; alter ſcrupulus, itemq; tertius diu me habuit ſollicitũ, quem mihi cupio tolli ingenij tui acumine. Ego etiam ſi conferam quid piam in commune, non tamen diſceſſurum me promitto in ſententiam diuerſam: ſed manibus pedibuſq; iturum in ea omnia, quæ tu ſtatueris.

Pant.

Profer ſi quid habes, quod videtur diſcutiendum: ego tibi ingenij mei operam polliceor, modò ne denuo obſtrepas, ſi quid titillauero præter pruritum tuum.

Tull.

In ipſo veſtibulo epiſtolarum, quas familiares præter argumentum vocant, in idem videtur Cicero incidiſſe vitium, quod in Rhetoricis præceptionibus tum ipſi, tum alij artis ſcriptores vt turpisſimum inſectantur atq; exagitant; & proinde ſtudioſis elegantiæ cauendum in primis docent. Initio enim primæ epiſtolæ hiantem facit orationem vocalium concurſus, quo maximè offenduntur aures oratoriæ diſpoſitioni aſſuetæ. Verba ipſius Ciceronis hęc ſunt: Ego omni officio ac & quæ ſequuntur. Trigeminum vides hiatum in paucisſimis verbis: quodq; adeo caput eſt, inter ipſa initia. Ego aut Ciceronem puto reprehendendum, aut aliquid ſubeſſe ſuſpicor, quod ego perſpicacia mea aſſequi non valeam.

Pant.

Nihil habet difficultatis hic nodus. In promptu ratio eſt, quare non ſit omnino legis violatæ reus Cicero. Nam adeo abhorret ipſe ab appa-

apparatu & affectata verborum ſtructura, quæ autoritatem & fidem abroget oratori; vt abiectiſſima quæq; maluerit in principio collocare, quàm vt lucernam oleret oratio, quod Demoſtheni exprobratum audiuimus; aut tumido genere animũ auditoris ſibi faceret alieniorẽ.

Tull.

Non diſplicet ratio. At me mouet Orator illius, in quem cum fateatur ſe quidquid acumine ingenij, aut eruditione valuerit, contuliſſe: tamen eum Bruto ſuo, á quo ſumſerat inſcriptionem, non potuerit probare.

Pam.

Neq; hic eſt multum momenti. Non enim qualem ſperabat ſe inuenturum, ſed qualem optabat, & qualẽ oporteret eſſe oratorem, Cicero finxerat: id ipſum ſecus intellexerat Brutus. Sed video nos imprudenter commutaſſe perſonas: tu factus es Tulliomachus: ego propugnator eiuſdem, contra quàm in ingreſſu diſputationis noſtrę.

Tull.

Non temere eſt: ſed quando in mentionem Oratoris incidimus, volo mihi explices locum quemdam, qui me diu & acerrimè torſit: ſiquidem omnes angulos videris perluſtraſſe facun-

diæ Ciceronianæ. Eſt autem hic. Pes, qui ad numeros recipitur aut eſt æqualis, aut duplus, aut ſeſqui. Sic fit ęqualis dactylus: duplus iambus: ſeſqui pœon. Ego (ne mentiar) tantum putaui ineſſe difficultatis huic loco, vt ipſi peruestigando ſuperſederim, deſperata germani ſenſus cognitione. Nam cum grammatici quattuor faciant pœonas, Cicero vnum tantum videtur intellexiſſe, alioqui diſtinctius fuiſſet locutus. Hinc conijcito, quàm fuerim perplexus. Grammaticorum traditiones fidē faciebant: Ciceronis autoritati nō erat refragādū.

Pant.

Egregium Tullianum: qui, cum oratorios numeros ignoret, ſummi tamen oratoris audet ſe profiteri imitatorem; futurum ſperans, vt illi ſimilis aliquando euadat. Apage.

Tull.

Vt vt ſe habeat res: ego ingenuè fateor ignorationem: tu ſi quid habes lucis in his tenebris facito mihi commune.

Pant.

Etſi olfacio te eruditionis meæ experiundæ cauſſa hanc ad me deferre interpretandi prouinciam: ne tamen te diu ſuſpenſum teneam, ſiue ioco ſiue ſerio delatā non detrectabo. Duos tantum pœonas recipit Cicero; primum videlicet, & vltimum.

Tull.

Tull.

Aliud ex alio malum : per homœopheſim exponis tu mihi rem ignotam per ignotiorem, vel per æquè ſaltem ignotam. Nam ſi tam primum quàm vltimum recipit, cur non ſuſtulit ambiguitatem numero ordinis, vt diceret primum eſſe ſeſqui, aut vltimum?

Pant.

Rependis mihi vicem odioſè percontando: cum ego anceps fuerim in exponendo. Cum duos intelligat pœonas, primum verè & præcipuè, tamquàm per excellentiam pœona eſſe vult. Hinc patet quid eo loco ſibi velit Cicero.

Tull.

Iſtud tuum duplum, æquale, & ſeſqui nihilò magis intelligo, quàm pœonas ante luculẽtam interpretationem.

Pant.

Repueraſcendũ mihi tecũ fuerit, ſi deinceps ſit de hiſce agendũ: quò enim propius intueor profectũ tuũ in Ciceroniana eloquẽtia, eò magis eum iudico pœnitendum. De temporibus: hoc eſt, de pronunciationis tenore intelligas. Grammatici enim ſyllabæ longæ duo tempora tribuunt: breui vnum: ancipiti ſeu

diæ Ciceronianæ. Eſt autem hic. Pes, qui ad numeros recipitur aut eſt æqualis, aut duplus, aut ſeſqui. Sic fit ęqualis dactylus: duplus iambus: ſeſqui pœon. Ego (ne mentiar) tantum putaui ineſſe difficultatis huic loco, vt ipſi peruestigando ſuperſederim, deſperata germani ſenſus cognitione. Nam cum grammatici quattuor faciant pœonas, Cicero vnum tantum videtur intellexiſſe, alioqui diſtinctius fuiſſet locutus. Hinc conijcito, quàm fuerim perplexus. Grammaticorum traditiones fidē faciebant: Ciceronis autoritati nō erat refragādū.

Pant.

Egregium Tullianum: qui, cum oratorios numeros ignoret, ſummi tamen oratoris audet ſe profiteri imitatorem; futurum ſperans, vt illi ſimilis aliquando euadat. Apage.

Tull.

Vt vt ſe habeat res: ego ingenuè fateor ignorationem: tu ſi quid habes lucis in his tenebris facito mihi commune.

Pant.

Etſi olfacio te eruditionis meæ experiundæ cauſſa hanc ad me deferre interpretandi prouinciam: ne tamen te diu ſuſpenſum teneam, ſiue ioco ſiue ſerio delatā non detrectabo. Duos tantum pœonas recipit Cicero; primum videlicet, & vltimum. Tull.

Tull.

Aliud ex alio malum : per homœopheſim exponis tu mihi rem ignotam per ignotiorem, vel per æquè ſaltem ignotam. Nam ſi tam primum quàm vltimum recipit, cur non ſuſtulit ambiguitatem numero ordinis, vt diceret primum eſſe ſeſqui, aut vltimum?

Pant.

Rependis mihi vicem odioſè percontando: cum ego anceps fuerim in exponendo. Cum duos intelligat pœonas, primum verè & præcipuè, tamquàm per excellentiam pœona eſſe vult. Hinc patet quid eo loco ſibi velit Cicero.

Tull.

Iſtud tuum duplum, æquale, & ſeſqui nihilò magis intelligo, quàm pœonas ante luculẽtam interpretationem.

Pant.

Repueraſcendũ mihi tecũ fuerit, ſi deinceps ſit de hiſce agendũ: quò enim propius intueor profectũ tuũ in Ciceroniana eloquẽtia, eò magis eum iudico pœnitendum. De temporibus: hoc eſt, de pronunciationis tenore intelligas. Grammatici enim ſyllabæ longæ duo tempora tribuunt: breui vnum: ancipiti ſeu

communi ſeſqui tempus. Vbi igitur Cicero ait pedem eſſe ęqualem, id ita accipiendum; vt cum primæ ſyllabæ tempore vel temporibus reliquarum ſyllabarum tempora conferas. Exemplo ſit dactylus, cuius prima ſyllaba longa duo habet tempora: ad quam reliquæ duæ breues relatæ, æquales erunt ei temporibus. Quòd verò iambum dicit duplum, hinc facilè collegeris, cùm poſterior longa breuem priorem vno tempore excedat.

Tull.

Obſecro te, Pantagathophile, quando nihil eſt in receſſu ſcriptorum omnium, quod non tibi ſit notum, perinde atq; vngues proprij, ſuſtine ac perfer adhuc tantillum moleſtię, dum ex te intelligam, quod aſſequi coniectura mihi nō licuit. Quid ſibi vult Cicero his verbis? *Appiada nominabo, & Lentulitatem, Appietatem.* Ita enim mihi videtur euagari extra cancellos linguæ Latinę, vt longè abſit à verecundia Theophraſticæ tranſlationis.

Pant.

Proferam, quæ nuper ex ſolertis cuiuſdam indagatoris monumento excerpſi. Appiades Deæ erant ſub templo Veneris poſitæ: cum autem Venus pręſit amorū fœderibus, voluerunt fortaſſe eas quoq; ceu contubernales Veneris,

&

& eiuſdem templi conſortes præeſſe amori ceu fetiales. Id autem ita ſe habere, apparet è verſibus Ouidij. Quod ad Lentulitatem, & cetera recens nata, ſuſpicor Ciceronem ad Stoicorum imitationem fabricatum eſſe nomina, quæ Appij, & Lentuli factum, & exemplum & autoritatem ſignificarent. Nam cum Stoici ex habitu cuiuſq; & qualitate nomina fingerent, licentioſo quodam abuſu, pepererunt examen quoddam: vt Plutarchus ait de Chryſippo.

Tull.

Vox itē quędam breuiter & conciſè ab ipſo Cicerone refertur lib. 2. de oratore his verbis: *Hoc ridiculum eſt, quod Caluino Glaucia claudicanti. Vbi eſt vetus illud? Num claudicat? at hic clodicat:* videor mihi ſubodorari ſcomma: ſed quid in receſſu latitet, non aſſequor.

Pant.

Pergis tu me vti interprete ad ſatietatem vſque: ſed vbi hanc operam etiam pręſtitero, no ueris receptui canendum. Iocus latet in vicinitate vocum *claudicare*, & *clodicare*. Externo verborum habitu obijcit Glaucia Caluino corporis atq; animi claudicationem: intus & in receſſu notat eumdem, quòd Clodij hominis factioſi partes ſequatur. Eſt igitur hic geminus verborum ſenſus, *claudicat*, id eſt, dubię & inconſtantis

tis eſt fidei: *Clodicat*, id eſt, Clodij factionem amplectitur.

Tull.

Quæſo te Pantagathophile, ne graue ſit tibi vſuram breuiſsimi temporis mihi concedere, dum alia exponas, quæ laudem tibi ſunt paritura non minimam. Ego enim, ſi quid à te didicero, non mentiar autorem. Cicero in ſuo Oratore ſubobſcurè ſignificat, ſibi non conuenire cum Bruto in ſententia de Iſocrate. Iſocrates, inquit Cicero, qui præter ceteros eiuſdem generis laudatur, ſemper à nobis nonnunquam, Brute, leuiter & eruditè repugnante te. Ego Ciceronis autoritate eò deductus ſum, vt ludibrio eſſe incipiat Brutus, qui in ſummo oratore laudando diſſentiat à Cicerone.

Pant.

Facilem nactus reſponſorem odioſus es percontator. Brutum aiunt delectatum triſti, ſicco, & arido genere orationis: Laconicam (ſic dixerim) breuitatem probaſſe in primis. Iſocrates luxurianti ingenio longiſsimos ambitus & circumductiones habet. Hic primus artem adhibuit ad explendas hiulcas, & mutilas ſententias. Itaq; non potuit probare Iſocratem Brutus, qui in alio genere verſaretur.

Tull.

Liceat mihi, veluti compoſitæ litis memori ex eodem Bruto quærere, quidnam ſit cauſſæ, quod M. Tullius negat quemquam Grçcorum oratorum Thucydidem imitatum laudatiſſimũ ſcriptorem.

Pant.

Ocioſa; ne dicam imperita quęſtio. Patet enim ex eodem Bruto, quod quæris. Fateor, ait ipſe, laudatur Thucydides, vt rerum explicator prudens, ſeuerus, grauis: non vt in iudicijs verſaret cauſſas, ſed vt in hiſtorijs bella narraret. Si de ſcribenda hiſtoria quis conſuleret Tulliũ, certè aliter ſentiret: non enim inter oratores vmquam numeratus eſt Thucydides.

Tull.

Vnum adhuc mihi ſcrupulum eximi à te volo: deinde ſi videtur, receptui canamus. Lib. primo de Oratore hæc ſunt verba: *Quibus cum tibi iuſto ſacramento cõtendere non liceret.* Si enim Sacramenti nomine iudicium & diſceptationem intelligit, non conuenit inter primarios expoſitores. Mihi pateat promptuarium tuum.

Pant.

tis eſt fidei: *Clodicat*, id eſt, Clodij factionem amplectitur.

Tull.

Quæſo te Pantagathophile, ne graue ſit tibi vſuram breuiſsimi temporis mihi concedere, dum alia exponas, quæ laudem tibi ſunt pariturα non minimam. Ego enim, ſi quid à te didicero, non mentiar autorem. Cicero in ſuo Oratore ſubobſcurè ſignificat, ſibi non conuenire cum Bruto in ſententia de Iſocrate. Iſocrates, inquit Cicero, qui præter ceteros eiuſdem generis laudatur, ſemper à nobis nonnunquam, Brute, leuiter & eruditè repugnante te. Ego Ciceronis autoritate eò deductus ſum, vt ludibrio eſſe incipiat Brutus, qui in ſummo oratore laudando diſſentiat à Cicerone.

Pant.

Facilem nactus reſponſorem odioſus es percontator. Brutum aiunt delectatum triſti, ſicco, & arido genere orationis: Laconicam (ſic dixerim) breuitatem probaſſe in primis. Iſocrates luxurianti ingenio longiſsimos ambitus & circumductiones habet. Hic primus artem adhibuit ad explendas hiulcas, & mutilas ſententias. Itaq; non potuit probare Iſocratem Brutus, qui in alio genere verſaretur.

Tull.

Liceat mihi, veluti compoſitæ litis memori ex eodem Bruto quærere, quidnam ſit cauſſæ, quod M. Tullius negat quemquam Grçcorum oratorum Thucydidem imitatum laudatiſſimũ ſcriptorem.

Pant.

Ocioſa, ne dicam imperita quçſtio. Patet enim ex eodem Bruto, quod quæris. Fateor, ait ipſe, laudatur Thucydides, vt rerum explicator prudens, ſeuerus, grauis: non vt in iudicijs verſaret cauſſas, ſed vt in hiſtorijs bella narraret. Si de ſcribenda hiſtoria quis conſuleret Tulliũ, certè aliter ſentiret: non enim inter oratores vmquam numeratus eſt Thucydides.

Tull.

Vnum adhuc mihi ſcrupulum eximi à te volo: deinde ſi videtur, receptui canamus. Lib. primo de Oratore hæc ſunt verba: *Quibus cum tibi iuſto ſacramento cõtendere non liceret.* Si enim Sacramenti nomine iudicium & diſceptationem intelligit, non conuenit inter primarios expoſitores. Mihi pateat promptuarium tuum.

Pant.

Pant.

Non me latet, tamquam pro aris & focis cōtendere quoſdam eruditos, iudicium & contro uerſiam ſignificari hoc verbo. Sed Turnebus, Feſti autoritate fretus, germanum eſſe ſenſum ait: vt *Sacramento contendere* accipias pro eo, quod eſt, magnę pecunię periculo, quę deponi ſolebat, magnaq; ſponſione. *Non licet*, ibidem pro eo, quod eſt, non audeo. Fit enim ſæpe, vt quod agere quiſpiam non audet, id non ſibi licere, ſimulet. Sat prata biberunt. Valeto Tulliomime, & Plautinæ fabu[illegible] Etymologias expectato: in quas, ſi collibi[illegible]um fuerit, diſquiſitiones meditator.

Tull.

Tu itidem Pantagathophile muſis & muſarum alumnis valeto, & cenſorium iſtud tuum ſupercilium accinge ad Adagia ſumta de partibus corporis humani, deq; earum functionibus, Gręcè, Latinè, & fortaſſe etiam Italicè expoſita: quæ aulicis naſutis non ingrata celerius expectatione pręſto tibi erunt.

COMES
Facundus
SALIBVS,
& Lepore Plautino
inſtructus.

EX

AMPHITRVONE.

Act. pr. Scena pr.

Merc. *Sum verna verbo.*

SENSVS eſt: verbo tantum, non item reaple, vt Soſia, ſum verna: faciem licet Soſię,& perſonam geram. Verba ſunt Mercurij in Soſiam transfigurati: quæ vero Soſiæ ſunt inſtar ęnigmatis. Non enim ab eo poterant intelligi, qui neſciebat ibi latere Mercurium: atq; in eo lepos eſt. Traduci poterit ad viros principes,qui ab animis tātiſper otioſi, pro re nata,humiles pſonas imitātur, & ſepoſita grauitate,ſcurrilia agitāt. Horum ſi quis vel abuti familiaritate, vel mores perperam interpretari velit,hac formula caſtigari,ac repelli poterit: *Verbo tantū verna eſt,* non re ipſa: Id eſt;non eſt talis,qualem ex ſcurrili ſermone quis æſtimare queat. Neſcio an quid ſimile habeat cum apophthegmate Alexandri Macedonis: qui luſus & familiaritatem aulicorum pertęſus,regio habitu proceſsit,atq; ſilentium indicens,regem adeſſe dixit. Scilicet iam alium ſe eſſe & haberi voluit ab eo, quem paullò

paullò ante colluſorem viderant. Commodè poterat dicere, *verbo tantum eram verna*: quaſi verbo veſter æqualis, re autem idem qui antea, nempe rex Macedoniæ. Poteſt etiam referri ad prouerbiũ: *Foras cares, non amplius anthiſteria.* Quod dictum in ſeruos audaculos, qui in domi norum familiaritatem ſemel recepti, perpetuò cum illis, quaſi ſui ſimilibus, ludere, & iocari volunt. Huc pertinet etiam illud, quod vſurpant Inſubres.

Non è più il tempo del Duca Borſo.

Eo perſtringunt ineptè loquaces ſcurras: quibus non tanta ſit garriendi poteſtas, quanta fuiſſe dicitur, illo principe rerum habenas tractãte. Turnebus aliter ſentit de hoc loco. Illius ſententiam ex ſcriptis ipſius petet, qui volet.

Merc. *Facit ille, quod vulgo haud ſolent, vt, quid ſe ſit dignum, ſciat.*

Scomma lepidiſsimum, in hominem nequam, qui iratus omni ſupplicio ſe dignum prædicet, errante lingua verum dicente. Huic commodè ſubſcribi poterit: *noſti tu, quid te dignum ſit,* præter conſuetudinem, & naturam tui ordinis hominum: Senſit hoc Mercurius, quando Soſiç, quaſi ſententiam ſibi ferenti, hoc modo,

Si merito meo referre ſtudeant gratias,
Aliquem hominem allegent, qui mi aduenienti os occillet probè.

Succinit Mercurius, longè magis tu ſapis, quã

ceteri

ceteri eiuſdem centuriæ nebulones.

In Italorum idiomate lepos etiam eſt, & gratia dicat quis.

Io meritarei cento baſtonate.

Idem alius quis affirmans, dicat:

Tu l'hai inteſo: ſei huomo da bene, che conoſci i meriti tuoi.

Appoſita erunt Mercurij verba. *Facis, quod vulgo non ſolent: vt quid te ſit dignum ſcias.*

Huc referam, quod in congreſſu doctorum virorum contigit non ita pridem. Prodijt in ter eos ineptus quidam, quaſi corchorus inter olera, vel anſer inter olores, qui non malè doctum ſe putabat. Is ambitiola quadam extenuatione identidem repetebat hæc verba: *Io ſon vn'ignorante, vn goffo.*

Id audiens & ineptam iterationem pertæſus quidam ingenio non turpiter hirto, ſubdit: *Che occorre replicare queſto? ſe niuno vi contradice.* Quaſi diceret, nihil eſt, quod vrgeas affirmando te ſtupidum; cum nemo contrà, vel ſentiat, vel dicat. Auditum eſt: tacitum eſt: in ſinu riſum. Erat enim non quilibet, qui illo ſcommate tangebatur.

So. *Ex ſpiritu & anhelitu nebula conflabat.*

His Soſiæ verbis ridere poterimus hominem vanum, grandiloquum: qui ita mentitur, vt manifeſtò teneatur. Huic mendacium mendacio penſare ſi volemus, *Ex ſpiritu* dicemus, *&*

anhelitu nebula conflabat. Ridicula hyperbole. Fieri enim poſſe quis credat vt tanta ſit hominum frequentia, quorum anhelitus nebulam pariat?

Soſ. *Credo ædepol dormire ſolem, atque appotum probè.*

Locus erit huic formulæ, cum vel propter moleſtam aliquam expectationem, vel ſiniſtrum euentum, vel opere faciundo laſsis dies videntur iuſto longiores. Vt *ſolem dormire* dicant, qui ſolitum ſuum curſum peragere ceſſet. Soſia peruigil noctem ſibi tardam ire queritur: dum hero odioſas agit excubias. Itali ſua lingua dicunt:

Vn'hora mi paiono cent'anni,

Vel etiam contrà, de illis, quibus excubias agentibus longa nimis nox videtur eſſe.

Mer. *Agite pugni, iam diù eſt, quod ventri victum non datis*.

Mercurius Soſiam percuſſurus, alloquitur pugnos ſuos, quaſi diù feriatos excitans, vt vegetiores ſint, & Soſiam grauius cędant. Conueniet mercenarijs, quibus opera vita eſt: qui cũ ſignificare volũt, iam diù operã ſe nulli locaſſe, neq; quęſtum vllum feciſſe: dicere poterunt; *manus iam diù ventri victum non dediſſe*. Vſitatiſsimum eſt pauperculis & capitecenſis, ſi quæratur, quis eorum ſit reditus, quę prędia poſsideant; vt man⁹ extendentes reſpondeant, in his nobis poſſeſ-

poſſeſsiones & reditus omnis eſt ſitus.

Soſ. *Formido malè.*

Ne ego hic nomen meum commutem, & Quintus fiam e Soſia.

Locus ex ambiguo: Ludit .n. in voce, Quintus: quæ ſignificat ordinem, & eſt nomen proprium, ſeu prænomen. Referenda autem ſunt hęc Soſiæ verba ad illa Mercurij.

Homines quattuor in ſoporem collocaſtis.

Timere ſe ait, ne augeat numerum, & quintus accedat quattuor illis, in ſoporem à Mercurio collocatis. Tum ſe Quintum futurum ex Soſia.

Merc. *Quiſquis homò huc profectò venerit, pugnos edet.*

Mercurius ſe pugnis percuſſurum minitatur, quemcumq; obuium habuerit. Id his verbis ſignificat: *pugnos edet*. Soſia illud, *edet*, figuratum ad propriam ſignificationem reuocans, ſalſe reſpondet:

Soſ. *Apage, non placet me hoc noctis eſſe: cænaui modo.*

Proin tu iſtam cænam largire, ſi ſapis, eſurientibus.

Simillimum huic eſt ruſticum illud Italorum:

Hoggi tu guadagnerai alcuna coſa.

Et illud.

Ti dirò altro che meſſere.

Catachreſis eſt, niſi quis malit ironiam, vel antiphraſin in voce, *guadagnerai*.

Nam lucrum facere, in commodis eſt: at ſi quis

vel

vel pugnis vel fuſte cedatur, neq; cōmodi, neq; delectationis quidquam in eo. Etiam illud.

Ti lauerò il capo d'altrò, che di bucato.

Soſ. *Illic homo me interpolabit, meũq; os finget denuo.*

Senſus eſt, verberibus me deformem reddet; ita me lacerabit, vt non videar is eſſe, quē me fecit natura.

Hæc Soſiæ verba pertinent ad illa, quæ dixerat Mercurius; *Alia forma oportet eſſe; quem pugno legeris* Lambinus monet, in dictione, interpolabit, eſſe metaphoram à fullonibus: quòd autem dicit, finget, á figulis ductum, qui ê luto alias atq; alias fingere formas ſolent.

Merc. *Olet homo quidem malo ſuo.*

Hoc eſt, præ ſe fert, portendit ſibi damnum.

Soſia reſpondens manet in propria ſignificatione verbi, *olet. Numnam inquit, obolui?* Id eſt, num quem odorem emiſi, qui Mercurium potuerit offendere? Itatorum vulgus quid ſimile.

Egli sà di baſtonate.

Etiam vſitatum apud illos eſt, vt luſorem victum dicant olere offellas, vel panes dulciarios. Nam vel chartis, vel talis ludentes, ſponſionem facere ſolent: vt, qui victus fuerit, ſuis nummis emta in commune conferat huiuſmodi mellita. Qui verò adſtant ſpectatores, eum, cui fortuna parum ſecunda, panes dictitant olere dulciarios, hoc modo.

Q Egli

Egli sà di offelle, di marza pane.

Mer. *Vox mihi ad aures aduolauit.*

Soſ. *næ ego homo infelix fui.*

Qui non alas interuelli: volucrem vocem geſtito.

Mercurius ſe vocem audijſſe dicens, verbum, *aduolauit*, tranſtulit, ſuæq; ſententiæ accommodauit. Id excipiens Soſia, volucrem dicit ſe vocem geſtitare. Hanc ego formulã ita vſurpari poſſe puto, vt volucrem vocem is habere dicatur, qui plenus ſit rimarum, vt eſt apud Terentium: qui arcana reticere nequeat: qui vel temerè vel mercenaria loquacitate, dicenda tacendaq; effutire, vel etiam linguę ſuæ virus, vt loquitur Apulei', alieno dolori locare ſolet. Itali eum longam habere linguam dicunt.

Egli hà la lingua longa.

Biſogna tagliarli la lingua.

Hunc falsè linguę ſuæ alas interuellere: hoc eſt, compeſcere & à garrulitate abſtinere iubebimus.

Mer. *Illic homo à me ſibi malam rem arceſſit iumento ſuo.*

Soſ. *Non equidem vllum habeo iumentum.*

In verbis Mercurij figura ineſt prouerbialis, de illis, qui ſua culpa ſibi damnum arceſſunt aut malum. Hunc locum Adr. Turnebus lib. 4. aduerſ. cap. 15. ſic exponit.

Arceſſit, valet, quærit ſibi malum, quod iumento imponat ſuo: cum potius, ſi quod malum

lum & iniquum onus ſit, alienis iumentis, quàm noſtris imponere ſoleamus, ne eo opprimantur & rumpantur. Suo igitur iumento, eſt abſolutè dictum, pro, eum ſuum ſit iumentum. Intelligit autem eum ipſum. Malum enim ſibi quęrit, quod gerat, cuiuſquæ iumentum erit; niſi ſi quis ſibi, & iumento ſuo per appoſitionem interpretetur. Alterum tamen concinnius videtur: quamquam nec hoc quidem ſine gratia. Hactenus Turnebus: Sed mihi non ſatisfecit. Redeo ad Soſiam; quem ſtupidum fingit Plautus: cum enim de iumento audiſſet: negat ſibi eſſe iumentum. Igitur ratiocinatione ſcurrili ad hunc modum colligit: Si non aliunde mihi malum impendet, quàm quod iumento meo fuerit illatum, certè nihil mihi timendum eſt mali, qui iumentum nullum habeo.

Itali, *Egli ſi cerca il male con le dita*.

Mer. *Certè enim hic neſcio quis loquitur*.

Soſ. *Saluus ſum: non me videt*,

Neſcio quem loqui autumat: mihi certo nomen Soſia eſt.

Lambinus in hunc locum: Neſcio quem, hominem ignotum, & quaſi ſine nomine. Ego plus in eſſe facetię, dixerim: atq; id imitatione Homeri, apud quem Vlyſſes, *Nemo* vocari voluit: quo facilius, quâ Cyclopi moliebatur, impoſturâ perficeret, atq; impunè diſcederet.

Senſus itaq; hic eſt: Soſia ludens Neſcio quem, duas dictiones, perinde accipit, vt vnicam, loco proprij nominis poſitam. Non, inquit, me quærit iſte, cui nomen Soſia: ſed alium, cui nomen Neſcio quem.

So. *Mandata heri perierunt, vnà & Soſia.*

Senſus eſt: Perij: hic mihi animam eripiet: ſic ego Soſia de medio ſublatus, heri mandata exequi non potero. Commodè vſurpabitur in ſeruum, vel alium quemuis nuncium, tardè redeuntem. Eum Itali vocant, *Il meſſo del Coruo*. Ac cum neq; nuncius apparet, neq; de mandatis quidquam noui affertur, dicere ſolent.

E' perduto il meſſo, & l'ambaſciata.

Quod venuſtè dixeris imitatione Plautina: *Mandata perierunt, vnà & Soſia.*

Sic figuratè per Soſiam, quiuis ſeruus, vel nuncius intelligatur.

Merc. *Aduenisti audaciæ columen, conſutis dolis.*

Soſ. *Immò equidem tunicis conſutis huc aduenio, non dolis.*

Iocus eſt in dictione *Conſutis*: quam Mercurius poſuerat pro collectis, excogitatis, meditatione congeſtis: Soſiæ eadem eſt, quæ laceris, & conſarcinatis. Lepidum fuerit dicterium in hominem aſtutum, fraudulentum; qui idem ſit pannoſus, laceris veſtibus ambulet. Eum dicamus incedere tunicis pariter & dolis conſutis.

Quales

Quales hodie mendici inſignes, qui verſicoloribus obambulant tunicis. De quibus argutuli iactare ſolent. *Tanto hà egli di varie ſorte di forberie nell'animo, quanto di varij pezzetti il ſaione*.

Hoc eſt, animum habet tam dolis conſutum, vt tunicam pannis.

Soſ. *Non ædepol volo profectò*. Merc. *at pol profectò ingratijs*.

Hoc quidem profectò certum eſt, non eſt arbitrarium.

Obſcuritatis hic non nihil: id ego, ſi potero, lucidum reddam & clarum. Soſia ſe nolle dixerat: ſubdit Mercurius aſſeuerans inuitum facturum. Poſtremum autem profectò, poſitum δεικτικῶς i. in ſignificatione materiali, hoc modo: Meum, profectò, certum eſt, non arbitrarium: ſcilicet, non poſitum in arbitrio tuo. Quod ego dico profectò, id ita & non ſecus eſt futurum. Hæc eò pertinent: *Volo, & nolo*, verba ſunt imperioſa, neq; conueniunt hominibus priuatis, ſed illis tantum, qui pro imperio decernere & arbitrio prohibere & cogere poſſunt. Soſia autem dixerat, profectò non volo: id repetens Mercurius, non eſt in arbitrio tuo, velle & nolle: ſed ingratijs plagas pati neceſſe tibi erit. Turneb. lib. 14. aduerſ. cap. 12. Plautus, inquit, certum arbitrario oppoſuit, quod inuito aliquo, & ingratijs futurum eſſet.

Merc. *Cuius nunc es? So. tuus: nam pugnis vſu feciſti tuum.*

Reſpexit ad formulam forenſem, *vſucapere & vſucapionem*. Senſus eſt: tantum audes in me, vt ferias, quaſi tuus ſim: Tuus autem eſſe alia ratione non poſſum, niſi per vſucapionem, vt loquuntur iuriſconſulti. Quadrabit in verberonem ſeu maſtigiam, quem ſi quis fuſtibus ex virtute ornauerit, dicatur eum vſucapione ſuum feciſſe.

Merc. *Eloquere, quid veniſti? So. vt eſſet, quem tu pugnis cæderes.*

Iocus eſt in paraphthegmate, hoc eſt, reſponſione præter propoſitum. Quæſierat enim Mercurius, cuius cauſſa, vel ad quodnam munus, ſeu miniſterium miſſus eſſet Soſia: Ille reſpondet præter expectationem, vt tu haberes, quem pugnis cæderes.

Merc. *Fugit te ratio. So. Vtinam iſtuc pugni feciſſent tui.*

Mercurius ſenſit, Soſiam rationis expertem eſſe, inſanum & amentem. Vſus eſt verbo fugit, pro deeſt, non habes. Idem verbum Soſia repetens, vtinam, iniquit, tui me pugni fugiſſent. Quaſi Mercurius dixiſſet, rationem metu fugiſſe Soſię conſpectum.

So. *Obſecro, vt per pacem liceat te alloqui.*

Merc. *Immo induciæ parũper fiant, ſi quid vis loqui.*

Soſia Latinè loquendi formula vtitur, per

pacem: pro eo, quod eſt, tua pace, tua venia, per te liceat. Mercurius id detorquet ad differentiam, quæ eſt inter pacem & inducias. Eſt autem ſenſus: Licebit tibi quidē loqui, ſed pauca, & præfinitò & ex prǫſcripto.

Merc. *Tum Mercurius Soſiæ iratus ſit.*

Facetum ænigma, ſi ad Soſiam reſpicias, qui neſciebat ſub perſona ſuppoſiti Soſiæ latere Mercurium. Eſt autem ab inexpectato reſponſum. Quǫſierat enim Soſia ſic: Quid vis tibi euenire, ſi me fefelleris? Quam pœnam tibi eligis fallaciæ? Reſpondet Mercurius, qui ſe Soſiam dici & exiſtimari volebat: tum Mercurius, qui ego ſum, tibi vero Soſiæ ſit iratus: hoc eſt, ſi fidē non ſeruauero, tūc Mercurius iratus tibi damnum det, atq; malum. Hǫc perperam interpretatus Soſia, rectè iuratum credit. Noſtris moribus etiam receptum eſt inter familiares: vt promiſſores doloſi id imitentur; cum promiſſa prǫſtare nolunt. A quibus ſi perconteris, quo periculo fallere fidem, & cui pœnæ velint eſſe obnoxij, ſi ſecus atq; receperint, factum fuerit: per paradoxon reſpondere ſolent, hoc ſe genus multæ paratum ſibi velle, vt optata contingāt: vel vt cerebrum diminuatur ei, cui id promiſſum fuerat. Iocus non ſine gratia apud Italos eſt, hoc modo:

Se io non farò quello, che hò promeſſo, ti ſiano date cento baſtonate: vel poſs'io hauere tutto quello, che deſidero.

Dixero vel catachreſin, vel acyrologiam eſſe iuris iurandi, Cui enim delatum eſt iuſiurandū ſuo, non aliorum periculo peierare ſolet. Sit igitur Latinè:

Tum Soſiæ Mercurius ſit iratus.

Vi ſiano date delle baſtonate, s'io non lo faccio.

ACT. 2. SCE. 2.

SOſ. *Non tu ſcis? Bacchæ bacchanti ſi velis aduerſarier,*

Ex inſana inſaniorem facies: feriet ſæpius.

Figura prouerbialis illi conſimilis: ignem gladio ne fodias. Terentius in Eunucho: nihilo plus agas, quàm ſi des operam, vt cum ratione inſanias. Conueniet, vbi quis homini concitato velit obſiſtere, illiusq; impedire conatum: magis irritauerit. Monet non temerè obloquendum, vel reſiſtendum eſſe homini furioſo, ne magis excandeſcat, & in obſiſtentem euomat iram. Itali commodè hoc modo:

Chi s'intrica con vn pazzo, non può parer ſauio. Vel *Non porrè in compromeſſo'l tuo intelletto con la ſua pazzia.*

Latinè: *Bacchæ bacchanti aduerſari noli.*

Metaphora vnde ducta ſit, ſine indice cernitur: modo non peregrinus quis in Latinæ lin-

guæ ſcriptoribus.

Alc. *Ob Iſtuc omen ominator capies, quod te condecet.*

Verba amarulentæ irriſionis plena: quæ ſpecie prouerbiali poterunt vſurpari in eum, qui mala præcatus, præmium accipit ictus vel fuſtium vel gladiorum. Italicè.

Piglia queſto per il cattiuo augurio.

Latinè: *Cape ominator, præmium ominis.*

Soſ. Sed mulier, poſtquàm experrecta es, prodigiali Ioui,

Aut mola ſalſa hodie, aut ture cõprecatã oportuit.

Dicterium maximè quadrans in homines ſtupidos, meticuloſos, ac ſuperſtitioſos: qui de rerum euentu ſolliciti, more priſco obſeruant omnia. Horum inſanæ ſuperſtitionis vnũ atq; alterum proferre libet exemplum: vt Comes hic noſter Facundus viatorem prouehat commodius. Sunt, qui gallinam fortè inſolita voce gallum æmulari audientes, hero mortem portendi aiunt, niſi ipſa continuò interficiatur gallina. Alij, ſi pro cane, boue, vel alio iumento pretium offeratur, vendendum protinus exiſtimant: ſecus enim cum maximo rei familiaris damno periturum: atq; eius damni cauſſam eſſe pretium oblatum & neglectum. His debetur occentus, *Ioui vt ſacrificent prodigiali.* Iuppiter autem prodigialis ab eo dicebatur, quòd prodigia auertere & amoliri crederetur.

Act.

ACT. 3. SCE. 1.

Cui ſeruus eſt Soſia,
IVpp. *Idem Mercurius, qui fit, quando commodum eſt,*
In ſuperiore qui habito cænaculo.
Qui interdum fio Iuppiter, quando lubet.

Lambinus in hunc locum: Iocus ex ambiguo. Nam vel ad verum Iouem referri poteſt, quem in cœlo poetę dicunt habitare: quod hic ſignificatur per ſuperius cęnaculum: vel ad hiſtrionem, qui perſonam Iouis ſuſtinet: qui fortaſsis erat pauperculus, neq; habebat domum, in qua habitaret, ſed alienam conduxerat, & eius quidem partem ſuperiorem, tegulisq; proximam. Turnebus refert ad hiſtrionem pauperculum, tantum, qui Iouis perſonam gerit. Audi iam, quæ familiarem conſuetudinem faceta translatione delectare poſsint.

Accommodetur homini omnium horarum, qui ſerijs & iocoſis rebus æquè idoneũ habeat animũ: qui pro re nata, cum aſtutis agere aſtutè, cum bonis etiam poſſit ac ſciat bonum ſeſe, candidumq; præſtare. Nempe, qui foro vtatur, vt eſt apud Terentium. Is dicatur,
Soſia qui fiat Mercurius, vbi ſit commodum.

Qui

Qui & ſcurriliter blaterare, & oratoriè diſſerere poſsit. Itali eum vocant.

Huomo da boſco, & da riuiera.

Quod verò ad illa verba: *Interdum fio Iuppiter, quando lubet:* Eiuſdem ſenſus eſt.

Intelligendum enim, eum, ſi vſus requirat, & humilem perſonam, & magnum virum agere poſſe.

ACT. 3. SCE. 4.

MER.

F*Aciam vt ſit madidus ſobrius.*

Senſus eſt: Efficiam meis verbis, ita eum circumducam, vt ſobrius cum ſit, ebrius videatur ex reſponſione: vel, vt ipſe ebrius ſibi videatur.

Ital. *Gli farò credere che'l Cielo ſia vna padella.* Vſus erit, cum volumus perſuadere cuipiam, ſecus eſſe, atq; ille ipſe, vel audierit, vel viderit. Cum vigilantem, videntemq; abducere à vero volumus, vt falſum amplectatur. Is ſi perſuaſus fuerit, *madidus ſobrius eſſe commodè dicetur*. Madidus autem pro ebrio, figuratè dictus, quemadmodum ſiccus, pro ſobrio.

ACT. 4. SCE. 3.

AMPH.

Nam verum eſt, quod olim eſt auditum Fabularier, mutatos Atticos in Arcadia homines.

Adagium vſurpatum in hominem elegantem, & moribus compoſitis: qui ex conſuetudine improborum contraxit morbum, & contagio factus malorum ſimilis. De Atticis. Quintil. lib. 12. Attici limati quidem & emũcti, nihil inane, aut redundans ferebant. Cæl Rhod. lib. 10. cap. 10. Porrò, inquit, illud ſilentio haud quaquam inuoluendum, à Platone in Timæo, atq; in Menexeno quoq; tradi, regionem Atticam eſſe ingeniorum fertilitati præcipuè accõmodam. Hæc ille. Rationes adfert ex multis ſcriptoribus. Eas ſi quis volet, inde petat: Philoſtratus Arcadas vocat rudes, ſuibusq; ſimiles. Vſus erit huiuſmodi: ſit quiſpiam, qui aliàs moribus, ingenio, cultu, fuerit elegans, politus, venuſtus: Idem aſſuetudine hominum turpium, & ſordidornm, factus ſordidus atquè turpis dicatur.

Atticus in Arcadia mutatus. Italicè *Pratticando con ſcelerati, & ignoranti hà patito*

con-

contagione d'ignoranza, & ſceleraggine.

Soſ. *Videſis herus ſalutator oppeſſulatas ante fores graditur.*

locus in amatorem excluſum, & ab amica neglectum: qui ante fores obambulans capite aperto ſalutat auerſam & de ſublimi ridẽtem. Is dicatur,

Salutator ambulans ante fores oppeſſulatas.

L'inamorato paſſeggia auanti alla porta ſerrata, è cancellato dal libro.

Soſ. *Hominem ne congrediamur quaeſo prius, quàm ſtomachum detexerit.*

Stomachus modò pro indignatione, ira, & faſtidio: Cic. lib. 4. Tuſc. intelliges eam ſtomacho non egere. Idem ep. lib. 1. vt ſcires me in ſtomacho ſolere ridere. Modò pro animo. Cic. lib. 1. ep. Noſti non modò ſtomachi mei, cuius tu ſimilem quondam habebas &c. Modò pro affectu animi, quomodo hoc loco poſitum exiſtimo. Senſus erit igitur: ne conueniamus eum prius, quàm animum aperuerit. Cum igitur quempiam ſuſpectum habemus, ſtomachum detegere iubeamus: id eſt, aperiat, atq; demõſtret, quis ſit animi affectus.

Soſ. *Illaec machina meas onerabit ſcapulas.*

Allegoria, cuius ſenſus eſt: conſilium, commentum illud eò tendit, vt ego mulcter infortunio. Dolus ille in me fabricatur. Simile huic eſt illud Italorum.

Guer-

Guardateui galline, che le volpi ſi conſigliano.

Vſus erit, cùm ſuſpecta habemus ſcelerat orũ conſilia, qui nobis tendãt inſidias, dicamus:

Illa machina noſtras onerabit ſcapulas.

Non ocyus quiui ſi me

Soſ. *Dædaleis tuliſſem remigijs.*

Formula poetica: pro eo, quod eſt (interprete Lambino) ſi volaſſem Dædali pennis ſiue alis, citius venire non potuiſſem. Fabula de Dædalo notiſsima.

ACT. 4. SCE. 4.

B L E P H.

R*ationes iacent: iudicium ſilet.*

Si quis apud iudicem parum gratioſus, in re controuerſa rationibus ſuis nihil proficit, animo iudicis ad cauſſam aduerſarij propendente, appoſitum fuerit, ſi dicat *rationes iacere, ſilere iudicium* Lambinus ita exponit: Rationes nihil valent, aut proſunt: rationes non liquent; ſed conturbatæ ſunt. Rationibus hęc controuerſia dirimi non poteſt. Iudices muti ſunt in hac controuerſia. Iudices quid pronuncient, in hac controuerſia, non habent. Quid ſi bos in lingua?

EX ASINARIA.

ACT. I. SC. I.

LIB.

NVM me illuc ducis, vbi lapis lapidem terit?

Piſtrinum in elligit, in quod detrudi ſolebant ſerui, pro maleficijs pœnas daturi. Lapis autem lapidē terit, dum molitur frumentum. Quia verò deſiit eſſe mos in piſtrinum deijciendi ſeruos; & alia pœna maleficis irrogatur, priſcis incognita, nomenclatura etiam inuenta eſt alia. Triremibus deſtinantur, qui vltimo ſupplicio non ſunt afficiendi. Illos Itali videntes longo ordine colligatos ad ergaſtula duci, hoc ſcommate proſequuntur.

Coſtoro vanno di longo à dare delle baſtonate a' peſci. Hoc eſt.

Recta via pergunt ad piſces baculis percutiendos: piſces percuſſum eunt.

Ita rebus nouis, nomina, & dicteria noua.

Lib.

Lib. *Vbi viuos homines mortui incurſant boues.*
Allegoria. Senſus eſt: vbi flagris cæduntur homines. Lambinus ait, vbi lora bubula, vel ex pellibus bubulis facta incurſant, ideſt, petunt, inuadunt viuos homines, ideſt, ſeruos molitores.

Lib. *Téque obſecro hercle, vt, quæ locutus, deſpuas.* Itali, ſi quem audiunt obſcena loquentem, aiunt.

Egli hà la bocca ſporca.

Os ſpurcum habere, pro verbis obſcenis dicunt. Lambinus, deſpuebant, inquit, veteres, quæ abominabantur, ne nocerent, nèue euenirent. Vti eo poterimus, cum vel turpia auditu, vel ea dicuntur, quæ nullo pacto nobis contingere velimus.

Lib. *Quia non ſuppetunt dictis data.*
Commodè dicas Italicè:

Egli hà più parole che denari,
Non ſono conformi alle parole i fatti.

Vſus erit, cum quis multa ſe daturum dixit, qui nihil eorum, quæ promiſerit, præſtare poſſit.

Dem. *Argentum accepi: dote imperium vendidi.*
Feſtiuiſsimus occentus in eos, quos *conductos concubinos* appellant viri docti. Qui nubere, non vxores ducere dicuntur. Itali vnico vocabulo: *Stalloni*, vel *coperte* dicunt. Propter dotem enim voluntariam ac turpem ſeruiunt ſer

nitutem: Italis benè dotatæ atq; imperioſæ mulieres, ſi quando nactæ ſunt viros ſub vxorio imperio viuentes, dicuntur, *portare la braga.*

Figuratè per habitum, viro cógruentem imperium ac magiſtratum oeconomicū ſignificantes. Huiuſmodi, inquam, dicere poſſunt:

Argentum accepi: imperium vendidi.

Lib.

Defraudem te ego? age ſis, tu ſine pennis vola.

Prouerbij loco poterunt vſurpari hæc Libanij verba, in præcipientem, quæ fieri non poſſunt. Dictum eſt philoſophorum: tantum vnū quodq; animal poteſt: quantum ipſius formalis cauſſa permittit. Sine pēnis nullum animal volat. Sine pedibus non ambulat.

Lib.

Quid ſi fortè in inſidias deuenero?
Tu redimes me, ſi hoſtes interceperint.

Hæc item verba quadrabunt in eum, qui temerè quempiam hortatur ad facinus periculis vndiq; plenum: quod, niſi cū diſcrimine ſalutis & famæ, perfici non posſit. Senſus eſt: præſtabiſne tu, ſi quid mihi euenerit incommodi, vel damni, dum tuæ voluntati ſeruire ſtudeo? mene periculo liberabis? Hoc reſponſo fortaſſe ad ſe redibit, & melius conſiderabit rei euentum.

R ACT.

ACT. I. SCE. 2.

Argyr.

Mare non eſt mare.

Olet prouerbium in homines iratos, ac prȩter modum furentes: qui ita excandeſcunt, vt ferarum more ſęuiant in eos, à quibus quid ægrè factum. Senſus eſt: præ furore iſtorũ, vndæ fluctus, tempeſtates, & procellæ, quæ in mari, nihili ſunt, Furor iſtorum exſuperat omnem maris impetum.

ACT. I. SCE. 3.

Cleæt.

VNumquodq; iſtorum verborum nummis Philippeis aureis
Nõ poteſt auferre hinc à me, ſi quis emptor venerit.

Senſus eſt; ſi quis ſingula verba, quæ in me dixit Argyrippus, ſingulis Philippeis emere velit, non fiet illi copia. Longè pluris enim conſtabunt Argyrippo: & ex illis maximum ad me redi-

redibit lucrum.

Quod dicere ſolent, per iugula redibunt tibi verba. Vſus erit, ſi verbis contumelioſis vltionem minari volemus.

Clear. *Fixus hic apud nos eſt animus tuus clauo Cupidinis.*

Remigio, veloq; quantum poteris, feſtina & fuge.

Quam magis te in altum capeſſis, tam æſtus te in portum refert.

Si adoleſcentes rei Venereæ dediti, ad hæc Clearetę verba, tamquam ad ſpeculũ ſuæ vitæ rationes, meretricum, & lenarum mores contẽplari velint, non tam facilè ſe ineſcari, ac retibus Cupidinis circumueniri patiantur: neq; temerè à doloſa meretricis manu porrectum guſtent philtrum. Quid enim hic aliud eſt, niſi lenę iactantia, quę captum illecebris adoleſcentem, clauo Cupidinis fixum eſſe gloriatur? Quem ſe abiturum minitantem ridet ipſa, conſcia quãto artificio ligatus ſit animus eius. Itali aiunt,

Egli hà ſentito'l dardo del Dio d'Amore.

Hà legato vn piede all'vſcio della innamorata.

Reſpiciunt ad frequentiam palæſtrę.

Ibid. Len. *Semper tibi promiſſam habeto, hac lege; dum ſuperes datis.*

Senſus eſt, promiſſam, certam & addictam tibi habeto meretricem: modò largius des, quàm alij proci: modò largitionib' ſuperes alios. A

natura lenonum, quorũ fores amatoribus profuſis, numquam non pætent.

Ad eũmdem modum Phędriæ ſuam operam addicit Phormio apud Terentium: *Cras, inquit, mane argentum mihi miles ſe dare dixit: ſi mihi prior tu attuleris Phędria, mea lege vtar, vt potior ſit, qui prior ad dandum eſt.* Diſcito hinc, qua lege ſe tueantur lenones.

Len. *Par pari datum: hoſtimentum eſt, opera pro pecunia.*

Verba Lambini in hunc locum ſunt: Hoſtimentum, inquit Feſtus, beneficij penſatio. Senſus eſt: par ratio accepti & expenſi: rationes ſunt quadrantes. Ego pro pecunia operam locaui. Amarulenta irriſio: Vſurpari poterit, ſi quis pecuniam mercenario creditam repetat, is reſpondeat: Hoſtimentum, opera pro pecunia. Hoc eſt, opere faciundo penſata eſt pecunia.

Itali, *A te la borſa, à me la fatica.*

A te duole la borſa, à me le braccia.

Len. *Quid me accuſas, ſi facio officium meum?*
Nam neq; vſquam fictum, neq; pictum, neq; ſcriptum in poematis,
Vbi lena bene agat, cum quoquam amante, quæ frugi eſſe vult.

Sententia in medio fornice nata. Neq; facilè inuenias in illo genere, quæ non frugi eſſe ſtudeat: hoc eſt, quę non peſſimè ſecum actum putet, ſi quando amatorem non omninò ſpoliatum

atum abire paſſa ſit. In fabulis, quę Aeſopo aſ-ſinguntur, legitur de meretrice impotentius lu gente amatoris diſceſſum: quæ conſolantibus, ac pulchriorem, ditioremq; inueniri poſſe di-centibus, reſpondit, nimium vos de lacrymis meis errare videmini: quas mihi non diſceſſus amatoris, ſed relicta ipſi peperit tunica: Nu-dus alioqui diſceſſurus erat. Argyr.

Mihi quidem te parcere æquum eſt tandem, vt tibi durem diu.

Senſus eſt: parciùs mihi radas marſupium: par-ciùs à me nummos exigas, quò diutius ſuppe-tat, vnde dare poſſim. Videtur habere quid ſi-mile cum apophthegmate Diogenis in prodi-gum, quod in Pluto retulimus. Poterit hoc pa-cto reſponderi principibus, maiora tributa, & vectigalia extorquentibus, quā facultates po-pulorum ferant. *Parciùs pete: vt diutius duremus.* Habent illi hanc ſibi præſcriptam formulam. *Boni paſtoris eſt, tondere pecus, non deglubere.*

Lena.

Quaſi piſcis itidem eſt amator lenæ: nequam eſt, niſi recens.

Is habet ſuccum, is ſuauitatem.

Lambinus in hunc locum: Amator lenæ eſt, vt piſcis (ſubintellige) conuiuæ. Comparat ama-torem cum piſce in eo, quòd vterq;, niſi recēs, inutilis, & malus eſt. Piſcis conuiuæ inutilis, amator lenæ.

Adde: adoleſcens, qui nuper cœpit exercitari in palæſtra Cupidinis, venit benè nummatus: nondum ſenſit damnum illius militiæ. Hunc conſectari, huic blandiri ſolent lenones: meretriculas egregia forma offerre: hos laqueos tēdere crumenæ tyrunculi. Idem abſumta pecunia putet, vt piſcis non recens. Neglectui eſt; & hoc eijcitur occentu: *da locum melioribus*.

Lena.

Vera dico: ad ſuum quemque hominem quæſtum eſſe æquum eſt callidum.

Sententia è Iano medio, hoc eſt, è Gymnaſio mercatorum, propolarum, mercenariorum depromta. Huic ſimillimum eſt illud Horatij.

Hæc Ianus ſummus ab imo
Perdocet: hæc recinunt iuuenes dictata, ſeneſque
Læuo ſuſpenſi loculos, tabulamq; lacerto.

Hoc colore ſe tuentur improbi mercatores, cū vocantur in ius, quod incauto emptori mercem obtrudere auſi ſint adulteratam. Italorum idiomate: *Apri gl'occhi fratello: Io faccio il fatto mio: Io non ſon obligato fare i fatti tuoi: Se non ſai, impara*. Scilicet Plautinum hoc ad verbum enunciant.

Ad ſuum quemq; hominem quæſtum, æquum eſt, eſſe callidum.

Licebit ne mihi ipſi refricare cicatricem? Licet vel reclamante genio. Ego aliquando ſponſor imprudens ac temerarius, cum pecuniam nu-

merare coactus eſſem, quam certo die ab alio numeratū iri receperam: diem illi dixi, cuius ego nomine diſſolueram æs alienum: latitauit ille, neq; iudicio vt ſiſteret ſe, efficere vlla ratione potui. Adij magiſtratum: quaſi acceptam ab eo injuriam expoſtulaui: ille verborum compendio, vel tabularum, vel ſyngraphę fidem oſtendere iuſſit, negans ſibi conſtare à me pecuniā alieno nomine numeratam. Cum ego neque ex ſyngrapha, neq; tabulis ritè conceptis actum eſſe dicerem: ſubmiſsius ille ſecū, meam ſiue ſortem miſeratus, ſiue ridens ineptiam, *cautius*, inquit, *erat agendum.* Ego auribus benè perforatis & arrectis, neq; linguę Latinæ ignarus, cum ſtomacho reſpondi,

Non facit ad noſtros dolores hęc medicina: iacta iam eſt alea: non conſilium, ſed iuris à te peto remedium.

Ad hæc ille, ſentiens me non omnino hoſpitem in regione Romana: *Andateui con Dio, vi vuole ſcrittura per far chiara la ragione voſtra: ſe voi hauete fatto delle minchionerie, che colpa ne hò io?*

Didici tandem me formula cecidiſſe: diſceſſi non tam fraudulento amico, quam meæ fortunæ, vel potius meæ temeritati infenſus.

Lena. *Quia nobis lucro fuiſti potius, quam decori tibi.*

Scommia in eos, qui, vbi ſedulam operam in-

re turpi præſtiterunt, quod pacti ſunt pretium, petunt: vel quaſi egregio facinore perfuncti, plauſum, & gloriam ſibi deberi putant. *Lucro nobis magis fuiſti, quam decori tibi* occini poterit. Hanc mercedem tulit Argyrippus profuſi in domo meretricia, patrimonij. Nobis à te lucrum tibi nihil à nobis ornamenti, ait Lena.

Lena. *Græca mercamur fide, &c.*

Semper oculatæ noſtræ ſunt manus: credunt quod vident.

Lambinus: Id eſt, præſenti, ſeu repræſentata, & ſoluta, non credita pecunia emimus. Gręcis enim, vt leuibus & dubiæ fidei nihil creditur: neq; Græci inter ſe pecuniam credunt: ſed præſenti pecunia res omnes cõtrahunt. *Semper oculatæ*, ſignificat, Lena ſe & ceteras lenas ac meretrices nullius fidei credere, nulliusq; fidem ſequi, ſed numeratam, & præſentem pecuniam accipere velle. *Noſtrę manus*, inquit, *ſemper oculatę ſunt*: id eſt, volunt videre, quod datur: & credunt ſibi aliquid dari, cum id vident & tangunt. Hactenus Lambinus. Negotiatoribus omnibus omnium regionum ac prouinciarum vſitatisſimum. *Mano è aſſo*: ſcilicet, *Chi dà à credenza non vende, & ſuia la bottega. ſ. Hoggi non ſi dà à credenza, domane ſì.* Hoc dictum ſuperiori limini inſcriptum, vſq; apparet: vt Cras illud numquam fit prę ſens. Germani lepidisſimum habent vnum atq; alterum dictum

in hunc ſenſum. Vnum hoc eſt: *Vuer vuil borghen, der komme morghen.* hoc eſt, Cras veniat, qui credi ſibi mercem cupit. Alterum hoc: *Die Vuort ſein guet, Vuer die ſchue Vuil, muſſgelt haben.* Id eſt, Bona quidem verba ſunt: ſed qui calceos cupit, nummos habeat neceſſe eſt. Quod ex euentu tali natum eſſe aiunt. Quidam ingreſſus officinam ſutoriam, calceos emere volens, ſciſcitatur pretium: Id vbi maius eſſe intelligit, quam vt ſua crumena diſſolui poſſet, accuratam orditur orationem, quæ eò pertinebat, vt ſutori probaret, ſe ipſi affinitate propinquũ. Oboluit ſutori, quò tenderet orator: atq; plura dicere volentem, his verbi interpellauit: *Verba tua lepida ſunt: at cui meis opus eſt calceis, pecuniam promat.* Abijt in prouerbium Germanis vſitatiſſimum, in eos, qui longa verborum ſerie, & fucata oratione quempiam allicere conantur, vt vel minoris addicat mercem pretiumq; remittat: vel in diem credat.

Len. *Nihil cocio eſt.*

Quid hac formula ſibi velit Lena: & quem ſenſum habere mihi videatur, antequam proferam, adſcribam hinc inde congeſtas ſcriptorum ſententias. Feſtus Pompeius coctiones, inquit, dicti videntur, à cunctatione: quòd in emendis, vendendiſq; mercibus, tardè perueniant ad iuſti pretij finem. Itaq; apud antiquos prima ſyllaba per, v, litteram ſcribebatur. Adagi-

orum collector, hoc modo: Dictum videtur in eos, qui pollicentur in futurum, nec exibent rem præſentem. Laberius apud Gellium, cocionem peruulgato verbo dixit, quem veteres ariolatorem dixerunt. Dicuntur autem hæc apud Comicum à L..na, quæ prædicabat ſibi oculatas eſſe manus, atq; id demum credere quod viderent. Quod autem alij legunt coactionem, id neq; carminis ratio patitur, niſi vocalem elidas. Ex Feſto Pompeio propemodum licet conijcere, coctionem eſſe legendum. Ait enim coctiones appellatos à cunctatione: quod in emendis vendendisq; mercibus tardè perueniant ad iuſti pretij finem. Adſcribit deinde ex Feſto, quæ ſupra retulimus. Hactenus Adagiorum collector. Seneca lib. epiſt. 11. Fœneratorem non fugat à foro coactor. In hũc Senecæ locum ita ſcribit autor Chiliad. Quo loco nũ coactor legendum ſit, nec ne, ſtudioſis expendendum relinquitur. Iuxta etymologiam cuntio ſiue cunctio, aut mutata littera, cõtio dicendum eſſet: quod Feſtus Pompeius oſtendit, eumdem eſſe coctionem & cocionem. Is in dictione Arulator, conſentit cum Gellio, confirmans eumdem eſſe cotionem cum Arulatore. Arulatorem autem dici à voce Græca, αἶρε, ideſt, tolle: quòd merces eas ſequatur, ex quibus ſi quid ceciderit lucri, poſſit tollere. Hæc ille.

Gel-

Gellius lib. xvi. noct. att. cap. vij. Cocio non peruulgatè dicit, quem veteres Arulatorem dixerunt.

Andreas Alciatus in lexico ſuo Plaut. voc ſic ſcribit: Coactio nihili, in Aſinaria, eſt coactio æris alieni exactio: Vnde coactores, qui & collectarij dicuntur. Nomina, quę argentarijs ob difficultatem, vel inimicitias exhibere non vacabat, emebant, vel ipſi certa mercede pacta, exigebant. Sed cum pauca conſequerentur, factum prouerbium eſt, nihili coactio: quo eos excludimus, qui ſibi cedi pecuniā poſtulabant. Videmus enim huiusmodi nomina nihili æſtimari, ſi præſenti pecuniæ conferantur. Scio alios aliter hunc locum interpretari, vt qui coactionem legant, itemq; qui cocionem pro aruſpice diuinatore. Sed noſtra ſententia & optime ſenſui quadrat, & veterum codicum autoritate defenditur. Coactorem fuiſſe patrem ſuum atteſtatur Horatius.

Si præco paruas, aut, vt fuit ipſe, coactor
Mercedes ſequerer.

Hæc Alciatus.

Lambinus in ſuis commentarijs, hoc modo: Nihili cocio, ſic hunc locum reſtitui, qui antea erat corruptiſſimus, atq; idcirco inexplicabilis. Quòd autem Turnebus, vir, quamdiu vixit, mihi amiciſſimus, cuius mortui memoria viuit apud me immortalis, ac ſempiterna, legit coa-

ctio,

ctio, ea verò lectio, neq; eius explicatio ferri poteſt. Sic enim ille: præſenti eſt mihi opus pecunia, inquit: nihil moror coactorem, qui pecuniam mihi promiſſam, ac debitam poſtea redigat: præſentarijs nummis opus eſt, non in diem. Legendum igitur eſt, vel vt edidimus, cocio: vel vt edidit Camerarius, coctio. Hæc Lambinus. Adfert etiam autoritatem Gellij, quam paullò ante notauimus. Tum etiã Feſti. Addit ſuam ſententiam: Hunc igitur locum ſic explico: vetus prouerbium eſt, cocio, ſeu coctio, ſeu arilator, ſi cæcus, nihili eſt: id eſt, nequam, improbus, atque inutilis. Cur ita? quia lucrum, quòd ante pedes erit, videre non poterit. Quemadmodum igitur arilator, ſeu cocio, oculatus & perſpicax ſit, neceſſe eſt: ita lena ad ſuum quæſtum oculata eſſe debet, ſi modò ſtrenua & proba eſt. Nam niſi oculata erit, quæſtum ſuum negliget, ac præteribit, & ita rem ſuam malè geret, & egeſtate laborabit. Hoc igitur ſignificat, quod antea dixit alijs verbis ſe habere manus oculatas: hoc eſt, quæ nummos præſentes videre, non in diem collatos & promiſſos expectare velint: quod ſi manus nihil videant, aut cæcæ ſint, hoc eſt ſi nummi præſentes non numerentur, eas manus ſibi inutiles futuras, nihilq; quo familia alatur, allaturas: & ſe, ac domeſticos omnes eſurituros ſatis. Hæc huius loci ſententia eſt, quidquid alij ſcribant.

bant. Hactenus Lambinus.

Turnebus inter alia: Dicitur & coctio à coquendo: nam in antiquo quoq; vocabulario cocionem arilatorem exponi reperi.

Subdit eadem, quæ Lambinus ex Feſto.

In tot, tãq; varijs, & inter ſe diuerſis opinionibus, quid, aut quem ſequaris, anceps eſt electio, difficile iudicium. Ego ne nihil adferam, conſuetudini noſtrati formulam aptè reconcinnabo, pro ingenio meo, vt etiam nos quid cocio ſit, & coci habeamus. Cocionem dico quẽ Ticinenſes *Regattonum* vocant: Eum ſcilicet propolam, ac nundinatorem, qui præſto eſt in nundinis, vel etiam venientibus ad nundinas longè procedit obuiam, atq; mercem, quæcũq; illa eſt, ſiue eſui ſit, ſiue ſecus, coemit: emtam tantiſper, ſeponens abſtrudit, vt illis, vnde emerat, digresſis proferre, atq; charius vendere, & hoc pacto compendia facere posſit. Is ſi fortè minus oculatus in emendo fuerit, atq; mercem emerit improbam, & fucatam, vnde plus damni, quàm lucri redeat, is *Nihili cocio*: quia cęcus. Ticinenſes ſua lingua dixerint, *Vn regattone ballotta ignorante, non sà fare i fatti ſuoi.* Atq; hoc eum inſectari ſcommate ſolent: *Se non ſai fare il meſtiero ſerra la bottega.* Hæc mihi videntur de Cocione. De coctione vero, & coactione, tum de cunctione, ſuum cuiq; relinquo iudicium.

Arg.

Arg.

Aliam nunc orationem, deſpoliato prędicas.
Longè aliam mihi prabes te nunc, atque olim, cum dabam.

Conueniet in eos, qui *poſt rem deuoratam*, quod aiunt, rationē quærunt; qui amiſſo grege, claudunt ſepta: quiq; , vt Germ. ſua lingua loquũtur: *Vuan das Kind vertrum tkē iſt, ſo, deckt, mā den brunneñ*, vbi ſubmerſus eſt puer, tunc tegitur puteus. Scilicet, ne alius it idem, puer incidat in eumdem. Verba ſunt Argyrippi, qui in palæſtra Cupidinis malè multatus; Lenæ illecebras in conuitia, verba mellita, in cõtumeliam verſa deprehendit. Italorum dictum huc commodè refertur.

A che giuoco giuochiamo? Che parole ſono queſte? Tu non parli com'eri ſolito. Se tu haueſſi fatto queſto ragionamento, haurei fatto altra proniſione alli fatti miei. Diogenis etiam huc pertinet apophthegma, de laqueo mellito: de illis, qui mulſaloquuntur; fel deuorandum præbent: & ill ectos in fraudem derident, atq; imprudentiam obijciunt.

Arg. *Lenonum quaſtus aucupij ſimillimus*.

Adagionis induere naturam poteſt, in improbitatem, & inſidias lenonũ, quibus imprudentes amatores circumuenire ſolent. Ipſa Lena rationem exponit ſimilitudinis. Auceps are am concinnat; offundit cibum; aues aſſueſcūt;

ſæpe edunt: ſemel captę rem ſoluunt aucupi. Hæc omnia referẽda sũt ad blãditias & fucata lenonum officia. Meretricia domus area, auceps leno, eſca meretrix, amatores aues.

Lena: *Remeato audacter, mercedem vbi nactus eris.*

Italicè hoc feſtiuè ſonat. *Quando hauerai la borſa fornita ritorna allegramente*: Vti eo non modo lenones & meretrices, ſed etiam aleatores poterunt: qui colluſores per fraudem ſpoliatos dimittunt, his verbis: *Abito, & crumena refocillata, lætus redito.*

Lena. *Si alius ad me prius attulerit, tu vale,*

Subnecte Phormionis Terentiani dictum: *potior erit, qui prior ad dandum.*

Itali, *Colui, che prima viene al molino, prima macina.*

Arg. *Dabo in leges meas.* Elegans formula: Senſus eſt, ea cõditione dabo, vt facias quodcunq; iuſſero; quaſcunq; tulero conditiones, accipias volo: & quaſi ex meo pręſcripto facies, vbi pecuniam acceperis.

Len. *Portitorum ſimillimæ ſunt ianuæ lenoniæ. Si affers, tum patent: ſi non eſt, quod des, ædes non patent.*

Alia ſimilitudo. Poeticũ illud huc adſcribe. *Si nihil attuleris, ibis Homere foras.*

Senſus eò pertinet: nę doctiſsimis quibuſq; patere ingreſſum, ſi vacui veniant.

Arg.

Arg. *Niſi illud perdo argentum, pereũdum eſt mihi.*

Pulcherrimum dictum, ſi in diuerſum ducatur. Argyrippus hoc ſentit: niſi argentum profudero, meritrice potiri non licebit: atq; ita mihi pereundum. Ego ad honeſtisſimum vſum verba transferam, ab inepto & ſtulto amatore prolata. Anaxagoram Philoſophum autorem laudo. Is poſt diutinam peregrinationem domum reuerſus, cum patriam poſſesſionesq; ſuas deſertas videret, nõ eſſem, inquit, ego ſaluus, niſi iſta perijſſent. Hoc ſenſit: niſi bona fortunæ contemtui habuiſſem, numquam mihi philoſophiæ cognitionem paraſſem. Hoc dicto caſtigari poterunt illi, qui filios perdere, quam pecuniam malunt.

Complures videmus ſexcenties cum gemitu vertere & inuertere nummum, antequam vel libris emendis, vel inſtitutoribus conducẽdis impendant. Illis certè pluris eſt obolus, quam filius.

Ex ACT. 2. SCE. 1.

LIB.

Q*Vò conferam hanc celocem.*

Itali hoc planè exprimunt, cum vident homi-

hominem fraudulentum, impoſtorem cogitabundum: quem fallaciam alicui intendere ſuſpicantur.

Doue hai indrizzata la barca?

Lambinus allegoriam eſſe monet, à genere nauigij. Celox nauis breuisſima, à celeritate dicta. Mihi ſic videtur: Ductum eſſe à piratis, qui latrocinijs infectant mare, & nauigantes depredantur.

Lib. *Picus vlmum tundit.*

Commodisſimè poterit vſurpari loco prouerbij, ſi à maleficio pueros abſterrere volumus. Hoc enim ait ſeruus: Mihi malum paratum eſſe, atq; imminere ex eo video, quod picus vlmum tundit inde ferulas auulſurus, quibus ego cædar. Vlmeis olim virgis cædi ſolitos eſſe ſeruos, hinc colligere licet. Senſus eſt Italis: *Picus vlmum tundit:*

Si apparechia delle ſferze, ſtaffili per caſtigarti.

SCEN. 2.

LIB.

IN *tergo theſaurum gerit.*

Ital.

Si confida nella ſua ſchiena, con la quale può ſodisfa-

re il tutto: Hà'l modo di pagàre con la ſchiena.

Dicterium in facinoroſum & perditiſsimum: qui plagis callum obduxit, & proinde confidentiùs peccat. Ductum ab eo; quòd qui theſaurum habet domi, facilè diſſoluit, ſi quid debet. Lib.

Pro monſtro eſt, quando qui ſudat, tremit.

Lambinus Hippocraticum neſcio quid adfert, ſub ſudorem malū eſſe tremorem, hoc eſt, ſi ſudorem ſequatur tremor.

Ego exuuijs prouerbij veſtiam dictum Libanij, hoc modo.

Sudans tremit. quaſi dicas,

Iamdudum perpetrandis ſceleribus occupatus ſudorem concitauit: iam tremit, debitas maleficio pœnas metuens. Conſcius perpetrati ſceleris, eſt in metu. Italorum dictum in ignauos, huc non pertinet: *Egli ſuda mui.*

Cuſtos carceris: Catenarum colonus: Virgarum laſciuia.

Verba contumelioſa, quibus ſe inuicem laceſſunt Libanius & Leonidas, ſerui.

Cuſtos carceris, qui ob flagitia in carcere perpetuò detinetur, quaſi cuſtos.

Catenarum colonus, qui catenas colit, quemadmodum agrum colonus: qui catenis vinctus catenas attritu ſplendidiores reddit.

Virgarum laſciuia; Laſciuire dicitur is, qui ob diuturnum otium & ſatietatem petulanter agit,

agit,luſitat,exultat,calcitrat, quemadmodum equi indomiti. Laſciuia dicitur huiuſmodi petulantia.
Hinc *vrgarum laſciuiam* vocat Libanius Leonidam, cuius in tergo laſciuire,& exultare virgæ ſoleant, dum plectitur. Contrà, *gymnaſium flagri* Libanium appellat Leonidas, in cuius corio exerceri & conteri virgæ conſueuerint.

Leon.

Nec dependes, nec propendens, quin malus nequamq; ſis.

Verborum ſenſus eſt Italis: *Tu non trabocchi, ne cali, ſei di giuſto peſo, puoi ſtare al paragone di qual ſi voglia ſcelerato furbo.*

Lib.

Væ tibi Leoni. *Hocce teſtamento ſeruitus legat tibi.*

Feſtiuitatis multum in eo eſt, quòd Libanius dicit Leonidæ, *Væ tibi*: id Leonidas technicè, hoc eſt, vt logici noſtrates loquuntur, in materiali ſignificatione accipit, atq; Libanio teſtamento legatum retorquet. Senſus eſt: *Væ*, id eſt, miſerias, calamitates, & omne genus infelicitatis tibi teſtamento legauit ſeruitus: hanc tibi hæreditatem cernere licet per ſeruitutem, vt, quamdiu ſeruus es, miſeriarum & cruciatuum numquam expers ſis futurus. Alludit ad fortunam ſeruorum. Ital. *E naſciuto per non hauer bene.*

Iam hoc opus eſt exaſciatum.

Ital. *L'opera è diſmaſſata, diſgroſſata.*
Hoc eſt, iam inceptum, & quomodo forenſes loquuntur, cauſſa eſt informata, *e ſtata poſta in termine*, minus iam erit difficultatis. Huc refero illud:

Dimidium facti, qui benè cœpit habet.

Lambinus, translatio, inquit, eſt à fabris, qui ligna primùm dolant & exaſciant: deinde læuigant, & expoliunt. Exaſciare autem eſt, aſcia ſiue ſecuri parare, & rudiore quaſi opera parare.

SCEN. 3.

MERC.

A*Eacidinis minis expletus.*
Ira percitus Achillea, plenus irę & minarum, quaſi ſi Achilles. De illis, qui irati malum minitantur & grandiloquentia metum inijcere conantur. De ira Achillis, vide Homerum initio Iliados: vbi perniciosam eam Grȩcis appellat.

SCEN. 4.

LEON.

TAmquam ſi claudus ſim, cum fuſte eſt ambulandum.

Ital.

Biſogna, ch'io ſempre habbia il baſtone nelle mani. Vſurpatum dominis in ſeruos, qui, niſi malo coacti, non faciunt officiũ. Vel patribus famil. in filios obaudientes & contumaces.

ACT. 3. SC. 1.

PHILEN.

Lingua poſcit: corpus quærit'. In proſtibulo natum, nec vſquam magis vſurpatum dictum. Lingua blandiendo amatores alliciunt. Corpus actu exercentes Venereo & meretricio, queſtum faciunt.

Phil.

Ad loquendum, atq; ad tacendum, tute habeas portiſculum.

Id eſt, expoſitore Lambino, tu ipſa habeas, & orationis imperandæ, & ſilentij indicendi ius ac poteſtatem.

Idem etiam ex Feſto monet, portiſculũ eſſe malleum, qui in portu modum det claſſi.

SCEN. 2.

LEON.

Scapularum confidentia, virtute humerorum freti.

Dicetur in ſeruos nequam, quos ne ante oculos quidem plagarum poſitum periculum abſterrere à maleficijs poteſt. Sed ſcapularum patientia, ac duritia freti, in cœptis facinoribus ad ſupplicij ferendi momentum vſq; perſiſtunt.

Itali,

Egli hà buone ſpalle, ſi confida nelle ſpalle, che poſſono ſoffrire le baſtonate.

Lib.

Vbi ad languorem duritia tua dederis octo.

Validos lictores vlmeis affectos lentis virgis.

Dicterium in eum, qui publicè per vicos, & compita virgis fit cæſus: Itali. *Hà ſtancato il carnefice.* Carnificem ad languorem dedit. Huic

H 2 ſimi-

ſimile eſt illud Terentianum:

Ille verberando, ego vapulando, vſq; ambo defeſſi ſumus. Lib.

Nimis vellem habere perticam, qui verberarem Aſinos, ſi fortè occœperit clamare hinc ex crumena:

Ridiculum: Aſinos vendiderat: collectum inde pretium habebat in crumena: perticam poſcit, quo prohibeat, ne rudentes in crumena aſini prodãt fallaciam. Figura eſt metonymia. Vſus erit feſtiuisſimus, ſi quis agellum, vel ædiculas vẽdiderit, atq; ex eo quęratur, vbi habeat ædes, vel agrum, reſpondeat, ſe habere ibidem, vbi Libanius Plautinus aſinos. Scilicet in crumena.

SCENA 3.

PHIL.

SAluere me iubes, cui tu abiens adfers morbum.

Vti eo poterimus, ſi abeunti amico, & valedicenti, cuius nos malè habeat diſceſſus, quemq; ægrè à nobis diuelli patiamur, reſpondeamus, *valere me iubes, quem tu diſcedens, in morbum detrudis.* Vel, inuertatur hoc modo: inimico quiſpiam in nos animo, qui malè nobis conſultum velit, nos ſalutet: Reſpondeamus, *ſal-*

nere me iubes, cui tu aduenienſ adfers morbum.

Huc referas Æſopi fabellam, vbi lupo percontanti ab oue, quomodo valeret, malè, reſpondit: interroganti quidnam cauſſæ, addit: quia te præsentem hic conſpicor.

Lib.

Opera vt largus eſt nocturna: negotioſus interdiu.

Iocus in Argyrippum, qui diſcedens amicæ rediturum ſe noctu pollicetur. Quadrabit in pollicitatores, qui interdiu ſe occupatos aiunt: veſperi operam præſtaturos recipiunt: atq; ita dilationibus ſuſpenſum tenent, cui opus eſt ſubſidio.

Argyr.

Apud Orcum te videbo.

Senſus eſt: Extremum halitum emiſero. Hæc Argyrippus apud meretricem, diſceſſum & mortem minitans. Prouerbij loco vſurpabitur, de eo, qui animã agit; iam iã migraturus ex humanis. Quem ſi quis quærat, *apud Orcum viſum iri*, poterit reſpõderi. Eſt autem planè ethnicum reſponſum. De Orco, vide Varronem, vel potius Adrianum Turnebum, lib. 10. aduerſ. cap. 37.

ACT.

ACT. 5. SCEN. 2.

ART.

F*Vndum alienum arat: incultum familiarem deſerit.*

De adultero, qui vxore poſthabita ſua, alienæ commiſcetur. Hunc Itali *cuculum* vocant: à natura & conſuetudine auis.

Ital. *Egli fà nelli nidi d'altri.*

Porrò currucas vocamus, quorum vxores parum pudicæ. Itidem ab auicula, cuius in nido, ſua oua cuculus ſupponere dicitur.

Dem. *Non ædepol conduci poſſim vita vxoris annua.*

Senſus eſt, docente Lābino, ſi quis mihi polliceatur futurum, vt annum tantum viuat vxor mea, quod mihi optatiſſimum, non tamen adduci poſſim, vt faciam. Improbum adulteri & in liberis luſtris vitam agentis iuſiurandum. Sumtum de moribus eiuſmodi nebulonum, qui coram meretricibus in hanc formulam iuſiurandum concipere ſolent, gratiam meretricum aucupantes.

Art. *Capuli decus.* Terent. *Senex capularis.*

Hoc

Hoc eſt, ſenex decrepitus: cui, vt Lambinus ait, magis conueniat capulum, id eſt, ſepulchrum, aut pheretrum, quàm luſtra, aut ganea. Alibi *Acheruntieum* vocat. Capulus autem, ſeu capulum, à capiendo dictum veteribus erat ſepulchrum.

Dem. *Nauteam bibere malim, ſi neceſſum ſit.*

Pro eo, quod eſt, quid vis peſſimi & odoris, & ſaporis malim bibere. De illis, quæ auerſamur, quæq; nauſeam pariunt. Nautea verò ſiue, quæ de ſentina defluit, ſiue de corijs, aqua ſit, certè deteſtabilis guſtu. Ratio nominis videtur à naui deducta.

Par.

Non didiciſti fullonicam.

Geminum habet ſenſum. Vel in eos, qui facillimè offenduntur odore minus grato: quiq; adeò ſunt delicatuli, vt nauſea facilè eis cieri posſit odore inſolito. Iubeantur *fullonicam artem diſcere*, quam qui nôrunt, illi tæterrimum illum odorem facilè ferunt, idq; propter aſſuetudinem, qua foetori callum obduxerunt. Vel in eos, quibus inuiſa eſt ſenectus propter imbecillitatem: iubeantur fullonicam diſcere, vt more fullonum ſe ſe recoquere, ac vires redintegrare poſsint. Fullones enim lauando, poliendo, interpolando faciunt, vt veſtes alioqui veteres, & attritæ diù durent. Hæc ferè

ex

ex Lambino.

Si adformam & pulchritudinem referas, nõ fuerit abſurdum, hoc modo: ſit anus adſpectu fœda: *fullonicam diſcere* quis iubeat: quæ formæ dignitatem, quæ iam defloruit ſenecta, reſtituere, ſeq; gratiorem præſtare poſſit.

Par.

Ecquis currit pollinctorem arceſſere?

Iocus informi doloſum, qui metu exanimatus eſt. Pollinctor eſt, qui mortuos curat, dictus à verbo pollincere, quod eſt, mortuum, ſeu cadauer curare. Tale eſt illud Terẽtij in Phorm. *Exequias Chremeti, quibus commodum eſt, ire iam tempus eſt.*

Art.

At etiam cubat cuculus.

Adde ſuperioribus, de adultero alienas vxores conſectante.

EX

AVLVLARIA

ACT. I. SCE. I.

EVCL.

Circumſpectatrix cum oculis emiſſitijs.

Ital.

Occhi da ſpione.

Oculi emisſitij, quaſi emisſi ad explorandum, quid in quolibet loco poſitum.

Eucl.

Stimulorum ſeges.

Refert tamquam ſynonymum, ad illa, *catenarum colonus, cuſtos carceris*, & reliqua. Senſus: digna, quæ asſiduè ſtimulis fodiaris, digna, in cuius corpore ſtimuli perpetuo ſtent ſati, & defixi, vt in ſegete ſpicę. Ex Lambino.

Eucl.

Teſtudineum iſtum tibi grandibo gradum.

Ital.

Ti farò allongar il paſſo,

In lentum, & tardo gradu incedentem à teſtudine dictum.

Staph.

Staph.

neque quicquam melius eſt mihi,
Vt opinor, quàm ex me, vt vnam faciam litteram.
Longam.

Etſi Iulius Cæſar filius meus in locutionibus Plautinis, ex Lambino ſatis ſuperq; explicauit, quid ſit ex ſe longam facere litteram, pauca tamen hic etiam adſcribam: ne cui parcus ſcriptor eſſe, vel minus diligens videar. Eſt autem, longam litteram ex ſe facere, idẽ, quod laqueo ſe ſuſpendere: vt Plautus ſemetipſum exponit.

Ratio eſt: contemplare funem, & ab eo pendentem: ſimilitudinem L, refert, ſi pendentis etiam pedes reſpicias. Etſi contra ſentit Lambinus.

SCEN. 2.

EVCL.

NVNC defæcato demum animo egredior domo.

Senſus eſt: animo lętо, & tranquillo, curiſq; ſoluto egredior. Metaphora à vino transfuſo, vel percolato.

Eucl. *Si bona fortuna veniat, ne intromiſeris.*

Ita

Ital.

Se foſſe il più caro amico del mondo, non lo laſcia entrare.

Locutio familiaris principibus, vel alijs magiſtratum gerentibus: Vel etiam illis, qui de loco ſuperiore docent. Cum ſe ſe abdunt in bibliothecam, mutos illos ſuos magiſtros in conſilium adhibituri, edicere ſtatoribus, vel ſeruis ſolent, ne quempiam intromittant, qui cõſultationes aut ſtudia interpellare poſſit. Bona autem fortuna, auxeſin, vel exaggerationem habet. Locus à maiore.

SCEN. 3.

MEG.

L*apides loqueris.* Prouerbium in eum, qui dura & aſpera loquitur: quiq; ea profert, quæ ingrata & iniucunda ſunt, & ab ingenio noſtro abhorrentia. Quemadmodum hic Eunomia Megadorum ab re vxoria abhorrentem hortatur, vt nexui iugali ſubmittat collum, & vxorem ducat.

SCEN. 4.

EVCL.

NVNC petit, cum pollicetur: inhiat aurum, vt deuoret.

Lepidiſſimum in pollicitatores, atq; in eos, qui munera offerunt viſcata. Itali feſtiuiſſimè.

Egli fà proferta grande, hà biſogno dell'opera, ouero della borſa mia.

Euclio ſuſpicatur, ne Megadoro defoſſum oboluerit aurum: atq; ideo vltrò deferat operam ſuam.

Eucl.

Nemini credo qui largè blandus eſt.

Dictum conueniens moribus huius ętatis.

Itali.

Non ſi deue dare credenza à chi fà gran proferta, luſinga oltra modo.

Solent enim aſſentatores, vel alij, loculis diuitiorum inſidiantes, vltrò deferre officia, idq; affectata & ad perſuadendum appoſita verborum ſerie: ac præter conſuetudinem blandiri. Italorum rhithmus huc pertinet: ***Quello, che mi carezza più che ſuole, ingannato m'hà, o à ingannar***

nar

nar mi vuole.

Eucl.

Ego iſtos noui polypos: qui, vbi quid tetigerint, tenent.

Lamb. Polypus piſcis, quidquid ſuis fibris & branchijs adeptus & amplexus eſt, quæ ſunt illi loco manuum, & pedum, id firmiſſimè tenet. Per polypos igitur rapaces, & tenaces homines ſignificat: qui polyporũ inſtar, quidquid concupiuerunt, id corripiunt & retinent. Hactenus Lambinus. Itali hoc genus homines aiunt manus habere picatas. i. pice illitas, *hauer le mani vnte di pece*: vel vncinatas, *le mani rampinate.* Plinius lib. 11. cap. 29. ſic ſcribit de polypo: Ceterum per branchias velut acetabulis diſperſis, eo hauſto, quodammodo, cui adhæreſcunt, tenent ſupini, vt auelli nõ queãt. Et ſubdit: Colorem mutat, ad ſimilitudinem loci, & maximè in metu. Hinc alius ſenſus adagij, vt referatur ad hominem omnium horarum, qui varijs hominum ſe moribus accommodare nouit. Græcis vſitatiſſimum illud: *Polypi mentem obtine*: quo dicto monent, pro ratione temporis, proq; re nata, alium atq; alium ſumendum eſſe vultum. Sentit hoc Tullius cum dixit numquam laudata eſt præſtantibus in repub. viris, in eadem ſententia perpetua permanſio: ſeruire tempori: id eſt, neceſſitati parere, ſemper ſapientis eſt habi-

tum

tum. De piſcis huius natura & hieroglyphica ſignificatione, Pierius hæc refert: Ægypti ſacerdotes hominem, qui rem familiarem ex quibuſcunq; rebus, vtilibus ſimul ac inutilibus, nullo diſcrimine, nulliusq; rei ratione habita, congereret augeretq;, ſignificare ſi vellent, polypum pingere ſoliti ſunt. Ille enim cum prodigè admodum multa deuoret, prudens tamen rei familiaris omnia temerè colligit & conuenatur, & in cubili ſuo recondit, ſelectiſq; vtilibus atq; conſumtis, inutilia mox, quippe teſtas, & cancrorum cruſtas, & putamina conchularum, & ſpinas piſciculorum abigit. Eos Ælianus vehementes ait eſſe ad vorandũ, quæcumq; oblata fuerint, eſſeq; adeò impotentes, vt ne paſtu quidem mutuo abſtinere deprehendantur: quiq; in retibus minores incluſi fuerint, maiorum eſcam eſſe. Hæc Pierius. Hac ratione etiam in abliguritorem quadrabit, & deuoratorem.

Eucl. *Altera manu fert lapidem: panem oſtentat altera.*

Neſcio an huc pertineat illud Italorum.

Egli hà il miele in bocca, & il fiele nel cuore.

An verò illud potius: *Egli tira la pietra, & aſconde il braccio.* An illud: *Guardati dalla gatta, la quale inanzi lecca, adietro gratta.*

Prouerbium cum alibi, tum in meis, quæ de partibus ducta ſunt corporis humani, de fun-

ctionibus,,& ſubiectis earum: tum de affectionibus,quibus ſunt obnoxię. Significatur is,qui ſpecie & fronte benignus (vt monet Lambinus)videtur:re vera perniciem,& calamitatem inſidioſę atq; occultè molitur. Ductum ab ijs, qui canem,oſtentato pane alliciunt,vt hac inani ſpe lactatum,facilius lapide,aut fuſte percutiant, Hæc Lambinus. Qui adagia collegit ad hunc modum; Qui coram blandiuntur, clam obtrectantes, palàm amicos agunt, clanculum nocent;aut qui hic proſunt,illic lædunt, falſam beneficij ſpem oſtentant, vt nacti occaſionem funditus perdant; ij dicuntur altera manu portare lapidem, altera panem oſtentare.

Eucl. *Vbi manum inijcit benignè, ibi onerat aliquã zamiam.*

Euclionis verba hæc eò pertinent,vt intelligas de illis qui benignè compellantes, verborum lenocinio damnum aut malum aliquod ſtruunt. Lamb. inter alia hoc etiam ait;Zamia Græcum eſt nomen Ζημία. Ζαμία, η. verſum in α, Doricè. Atq; idem hunc ſenſum eſſe monet; vbi diues pauperi benignè, id eſt, liberaliter manum inijcit, manumq; cum manu copulat, ibi aliquod damnum parat. Hęc Lamb, cui ſubſcriptorem ſe præſtat Adrian. Turneb. aduerſ. lib. 14. c. 5. his verbis; Libentiùs autem à Doribus & Æolibus Latini mutuum ſumunt, quàm ab alijs Gręcis; ad quos mercatum non pro-

proficiſcuntur dictionarium. Et mox ſubdit hęc eadem Plauti verba, eadem qua Lāb. ratione mutatum *v*, in *a*, dicens, morę Dorico,
Eucl. *Aurum huic olet.*
Prouerbij loco poterit vſurpari, in pauperculum, vel in aſſentatorem, qui homini benè nummato palpatur, & in eius gratiam dicit facitq; omnia.
Eucl. *in mentem venit,*
Te bouem eſſe, & me eſſe aſellum.
Lamb. Bos & aſinus, animalia ſunt imparia, & ad iugum pariter ſubeundum, vehiculumq; trahendum, & onus ferendum inepta. Bos enim, & maior & validior aſino eſt natura, & multò magis aſello. Hinc prouerbiū, ab aſinis ad boues; cui diſſimile eſt, ab equis ad aſinos. Allegoria igitur eſt, qua ſe quidem, vt pauperrimum aſellum: Megadorum verò, vt ditiſſimū bouem facit. Ex his Lambini verbis apparet, ad quem vſum conuerti poſſit,
Euclio. *Et meus me ordo derideat,*
Etiam hoc figura prouerbiali quadrabit in hominem infimæ ſortis, ſi vel ſumtuoſius veſtiri velit, quam ſuę fortunę, atq; ordini conueniat: vel rudis immiſcere ſe doctiorū claſſi, vel prouinciā ſibi depoſcat, vel ēt vltro delatā repudiet his verbis: *meus me ordo derideat:* Id ludibrio habeant, qui ſupra fortunā meā me attollere, atq; extra chorū ſeu, ordinē ſaltare velim:

Eucl. *Aſini me morſibus ſcindant: boues incurſent cornibus.*

Etiam hic ſpecies quædam prouerbij de eo, qui omnium vel irriſionibus, vel calumnijs ſit expoſitus.

Eucl. *Hoc magnum eſt periculum, ab aſinis ad boues trãſcendere.*

Adagium notiſsimum, de illis, qui ex humili familia, ad conſuetudinem, & familiam potentiorum aſcendunt.

ACT. 2. SCEN. 1.

STROB.

Pumex non æquè eſt aridus, atq; hic eſt ſenex.

Prouerbij naturam induet, ſi dicatur de homine immodicè parco & tenaci: Senes enim præparci & ſupra modum illiberales ac tenaces, pet translationem aridos dici ait Lamb.

Strob. *Quin cum it dormitum, follem obſtringit et gulam.*

Etiam hæc pertinent ad portentoſam auaritiam. Ineſt enim hyperbole quædam planè inuſitata. Sed ſenſum alium adfert Lambinus: alium ego coniectura venabor. Lamb.

Lamb. hoc modo interpretatur verba Strobili: Cum Euclio, inquit, Strobilus, it dormitum, follis, quo ignis accendi ſolet gulam, id eſt, fiſtulam, & foramen follis, per quod ſpiritus ſeu anima efflatur, arcto aliquo vinculo conſtrictū obturat, ne quam animam. i. ne quem ventum, ſiue ſpiritum amittat ipſe inter dormiendum. Hæc ille, quæ meo iudicio, frigida prorſus & abſurda. Mihi ſic videtur: Follem obſtringit ob gulam: Scilicet, ne ſponte, nullo agitante flatu ſuo ignem accendat, quo ligna comburātur. Ita conueniet cum illo, de ſuo tigillo fumus, ſi qua exit foras. Quòd vero ipſe Strobilus cauſſam ſubdit, ne quid animæ fortè amittat dormiens: id per iocum, aliorſum torquet, atq; dixerat.

Coc. *Etiam ne obturat inferiorem gutturem,*
Sibi ne quid animę fortè amittat dormiens.

Ridicula adeoq; ſcurrilis, ac ſeruili conueniens ingenio, hęc eſt interrogatio. Senſus eſt: quandoquidem adeò tenax eſt, & metuit, ne ſibi quid pereat flatus. Cur non eſſet podicem, partem pudendam obturat dormiens, ne crepitum ventris emittat, atq; ita ſpiritus iacturam faciat? Nota gutturem antiquè; hodie guttur, neutr. gen. Nota item iocum ſeruilem, vbi poſticum dicitur guttur inferius, ad diff. gutturis ſuperioris, per quod vltro, citroq; remeat ſpiritus.

Coc. *Abſtulit præſegmina.*

Feſtiuiſſimum fuerit dicterium in auarum, hoc modo: Quærat quis de huiuſmodi homine ſordido, quæ ſint eius vitæ rationes: reſpondeatur, præſegmina colligit vnguium. Hoc eſt, viliſſima queq; colligit & corradit, habendi cupiditate.

Anthr. *Cocus ille nundinalis eſt.*

Lambinus hoc loco non mihi ſatisfacit expoſitione ſua, quæ eſt huiuſmodi: Ego puto ſignificari eſſe malum & imperitum & ignobilem: quidam volunt, eſſe tardum. Et addit: Ex nouem diebus, vno die dumtaxat conduci ſolet: non quotidie conducitur, vt coci nobiles, & vſu periti, &c. Ego hoc ſenſiſſe Anthracem credo: ſed concinniorem volebam expoſitionem, & lucidiorem. Nundinalē igitur intelligo eū, quem nundinatorem vocant: ſcilicet, qui omnib. nundinis adeſſe ſolet: quemadmodum emaces illi, & curioſi, ſed alia ratione. Non .n. ad nundinas ventitat emtum, ſed vt ibi proſtet, quaſi venalis, & à nemine conductus, quemadmodum ignaui & imperiti mercenarij otioſi in foro ambulant expectātes, qui operā eorū cōducat. Hos Itali ſalsè perſtringunt idiomate ſuo. *Cattiuo ſegno è, quando nel mezo giorno ſi troua in piazza vn lauorante.* *Item.*

O compagno, ſe tu foſſi buono da lauorare, non ſtareſti quà otioſo: queſto non è luogo da pare tuo à queſt'hora. Con-

Con. *Tu trium litterarum homo.*

Notiſſimum eſt, dici de fure. Fur enim tribus litteris ſcribitur, tàm Græcis, quã Latinis. Sin quis malit referre ad tria KKK, quibus ſignificamus hominem ſceleſtiſſimum. Intelligimus enim Cappadocem, Cretenſem, & Cilicem: quorum improbitas adagio locum fecit Adagio dicitur: *Tria cappa peſſima.*

ACT. 2. SCEN. 5.

EVCL.

P *feſto die ſi quid prodegeris, Profeſto egere liceat.*

Quadrabit in eos, qui opera mercenaria ſe tuentur. Horum plerique diebus feſtis ingancis & caupouis abſumere ſolent, quod opere faciundo diebus profeſtis comparauerunt; ac proinde ſtrenuè eſuriunt bonam partem hebdomados. Germani, ſi quem vident pannoſum lurconem, & obeſum, feſtiuo ſcommate tangunt. *Er hatt ſein guet an die naſſe Vuar gelegt.* hoc eſt, bona ſua collocauit in merce madida. Sentiunt; heluationibus abſumſit. Itali etiam lepido dicto huiuſmodi perſtringunt heluones & voraces.

E buon compagno, nudo, e graſſo.

Nempe quod de veſtitu parum, de ventre plus æquo ſollicitus ſit, & in cute curanda operam collocet.

De his Terentius. *Qui ſic ſunt, haud multum adiuuant hæredem: ſibi verò hanc laudem relinquunt: vixit, dum vixit, benè.* Hic ambiguitas eſt in dictione *benè* poteſt enim referri ad honeſtatem, & ad ſatietatem edendi.

Eucl.

Poſtquam hanc rationem cordi ventrique edidi.

Belliſsimum hinc erue apophthegma, quo edax quis profuſus vtatur in hominem ſordidum, qui ad parſimoniam hortari velit. Exemplo: Caue nimium edendo & bibendo profundas, vnde rerum tibi penuria, & ex penuria fames. Reſpondeat vorax, barathrum macelli: hanc tuam rationem, ſi ventri edas: certè ridebit, nec erit audiens dicto.

Eucl.

Nunc tuſculum emi, & haſce coronas floreas:
Hæc imponentur in foco noſtro lari.

Senſus eſt: Suffumigabo ædes, & floribus, frondibuſq; inſtructas atq; ornatas dabo. Hic erit mihi apparatus ad nuptias: reliqua curato, qui velit, & cui licet per rem familiarem. Si velimus ridere ſordidulum, qui inuitatis amicis oſtentat ſupellectilem, vel ſtratos in pauimento flores: eſurituris alioqui, niſi tenuiſsimo

victu

victu ſaturari velint: appoſitum erit. Huc refero, quod aiunt: *argentea fame conuiuari.* In opulentos, qui vaſa argentea & aurea apponunt opſonijs vacua. Libet etiam referre, quod in agro Ticinenſi contigit planè riduculum. In pago quodam viritim diſtributi milites diuerſabantur. Obtigit fortè cuidam auaro, miles Hiſpanus, qui habitu & moribus non videbatur eſſe de plebe. Miles hic, vbi videt horam adeſſe prandij, neq; parati quidquam: compellat herum: percontatur, quando, & quomodo prandendum. Is ex imo pectore ſuſpiria trahens, quęſo, inquit, contemplare icones haſce, & quanto artificio pictæ ſint conſidera (erãt fortè imagines fumoſæ) Hic miles, de prandio loquor reſpondet: at ille ne graue ſit, tuum de pictura iudicium proferre. Cum ſemel atq; iterum ſordidus ille à prandio ad picturã auertiſſet ſermonem, *Vaia in hora mala*, ſua lingua inquit Hiſpanus, & recta via pergit ad diribitorem, ſeu vt vocant, ſupra armamentarium: quem Itali ſua lingua vocant *Foriero*: eum, uerbis aggreditur contumelioſis, quid (malum) inquit diuerſorij mihi dediſti? quem hoſpitem? Numquam loquitur de imaginibus, neq; meminit earum, niſi uel prandij, uel hora cænę.

ACT.

ACT. 3. SCEN. 1.

CONGR.

Ita me iſte habuit ſenex gymnaſium. Gymnaſium, dictio origine Græca, ſignificat palęſtram, locum vbi nudantur, & exercentur athletæ. Item exercendi rationem:

Hoc loco translatum ad hominem, in quo cædendo & flagellando ſe quis exercet.

SCEN. 4.

EVCL.

Exemi è manu manubrium. Lamb. Prouerbium eſt, quo ſignificat ſe gallo ademiſſe occaſionem indicandi theſauri. Natum autem hinc prouerbium eſt, quòd ei, cui manubrium alicuius rei adimimus, occaſionem, & facultatem rei gerendę auferimus. Hęc ille. Adde, ne mutila nimis Lambini ſit ratio, cui manu-

manubrium alicuius vel gladij, vel falcis adimimus, cædendi & feriendi poteſtatem eripimus,&c. Huic oppoſitum eſt illud: anſam præbere: feneſtram aperire.

SCEN. 5.

MEGAD.

Ego faxim muli, precioqui ſuperant equos,
Sient viliores Gallicis canterijs.

Lamb. Id eſt, ego receperim in me, ſeu, ego ſpoponderim,fore,vt muli,qui nūc equos pretio ſuperant, propterea quod vxores dotatæ, ſumtuoſę & delicatę, pilentis & ſimilibus vehiculis vehi volunt, quæ à mulis, ſeu mulabus trahuntur,viliores ſint Gallicis canterijs. Hactenus ille. Sentit Megadorus, nolle ſe dote imperium vendere: ſed pauperculam uxorem ducere, ut non ſit opus uehiculo, neq; multa impenſa. Dicit ergo, ſi omnes ſint eiuſdem ſententiæ paruo conſtaturos eſse mulos, qui nunc propter luxum mulierum tantum non auro contra emendi ſunt, Conueniet, cum ſi gnificare uolemus diſplicere nobis luxum, & delicias illarum, quę dote fretę ad profuſionē ſti-

ſtimulant maritos. Referamus ad noſtram conſuetudinem, & huc conferamus ludum illius, qui ridicula quędam parſimoniæ præcepta continentem ſcripſit libellum, cui titulus. *La leſina*, vbi collaria prohibet, qua dum geſtãt, quaſi in malluuio caput habere videantur; idque propter immodicam & aſymmetram amplitudinem. Prohibet etiam veſtes caudatas, quæ diſpendio ſint magis, quam ornamento, oneri magis, quam vſui. Etſi ille, quicumq; fuerit autor, tenacitatem diuitum ac ſordidorum potius perſtringere videtur, quam ad frugalitatem hortari.

Eucl. *Nimis lepidè fecit verba ad parſimoniam.*

¶ Scomma in eum, qui prodigalitatem ac profuſionem vituperat: atq; hoc colore prætegit auaritiam ſuam

Itali. *Egli ſarebbe buon padre di famiglia, diſcorre bene intorno allo ſpender & ſparagnare.*

Eucl. *Trecenti cum ſtant phylaciſtæ in atrijs:*

Lambinus monet, phylaciſtas translatè poſitos eſſe, pro flagitatoribus odioſis & aſſiduis, qui debitorem quieſcere non ſinant, donec pecuniam ſibi debitam abſtulerint.

Eucl. *Pro re nitorem, & gloriam pro copia.*

Subaudi quæras. Feſtiuum huc Italorum dictũ pertinet.

Il villano corteſe, ſecondo l'entrada fà le ſpeſe.

Horatius eodem ſenſu, *pro queſtu ſumtum facit.*

Meg.

Meg. *Quid tu te ſolus de Senatu ſeuocas?*
Catachreſis eſt: ponitur enim Senatus pro congregatione hominum cuiuſuis ordinis. Dicitur de illo, qui ſecedit à conuentu & congreſſu aliorum, quaſi meditaturus quidpiam ſolus.
Eucl. *Cum ſenis manibus, genere Geryonaceo.*

Dicterij loco poteſt vſurpari in hominem furacẽ, à quo non facilè quis ſibi caueat. Ductũ à Geryone, qui trimembris fingitur. Fabula notiſsima eſt. Senſus eſt, quoquo te vertas manus eſt: totus triplicatus: hanc ſi partem obſerues, alia contrectet, quod ſurripiat. In eoſdem quadrabit, quod ſequitur.
Quos ne Argus ſeruet, qui oculeus totus fuit.
De hoc Argo ſumtum prouerbium in perſpicaces: vt dicantur, *Argo oculatiores.*
Eucl. *Quin exta inſpicere in ſole etiam viuo licet.*
Hyperbole de eo, qui vſq: adeo macer eſt, vt vix oſsibus hęreat: cui pellucida cutis ad exta intromittat adſpectum.
Itali *Egli è ſolo pelle, & oſſa.*

ACT. 4. SC. 1.

Strob.

SIn dormitet, ita dormitet, ſeruum ſe ſe vt cogitet.
Sẽſus eſt, vt monet Lambinus, ſi negligẽtior aut tardior ſit in negotijs domini curandis ita ſit negligens tamen, vt meminerit ſe eſſe

ſeruum: hoc eſt, vt quod negligentia aut morą culpę contractum eſt, id vigilantia aut celeritate corrigat ac ſarciat. Ethicum præceptum ad ſeruos pertinens excitandos.

Strob. *Herile imperium ediſcat, vt quod frons velit, oculi ſciant.*

Admonitio itidem pertinens ad ſeruos, vt ita adſint parati ad mandata herilia, vt numquam oculos ab illius dimoueant oculis; ac vel nutu, quid velit intelligant. Lambinus hoc modo: Id eſt, vt heri voluntatem & ſententiam ex fronte & vultu intelligat; vt heri frontem & nutum intueatur, ex ijsq; , quid ille velit cognoſcat.

Strob. *Quod iubeat, citis quadrigis citius properet perſequi.*

Lamb. Hyperbole, & ex hyperbole natum prouerbium, quo ſumma celeritas ſignificatur. Videtur autem ſumptum à ludis Circenſibus.

Strob. *Qui ea curabit, abſtinebit cenſione bubula.*

Ital. *Sarà eſſento dalle ſtaffilate, ſparagnerà le ſtaffilate.*

Lamb. Id eſt, non cædetur loris bubulis, non ſubibit, neq; ſufferet pœnam lorariam, qua ſerui nequam afficiuntur. Alludit ad cenſoriam animaduerſionem: & per cenſionē, id eſt, animaduerſionem bubulam, verbera ſignificat, quæ loris bubulis ſeruorum improborum tergo incutiuntur. Quæ cenſio longè ab animaduerſione,

ne,

ne, ſeu notatione cenſoria differt. Cenſores e-nim tantum ignominia eos notabant, in quos animaduertebant: cenſio bubula verò, loris bubulis conſtat, & plagas infligit.

S C E N. 6.

E V C L.

N*I ſubueniſſet coruus, periſſem miſer.* Elegans erit iocus, ſi adhibeatur, cum volumus exploratorem, ac delatorem notare, ductum à ſuperſtitione priſca, quibus coruorum auſpicia ab dextera fauſta, à ſiniſtra infelicia eſſe, perſuaſum erat. Ego hunc ſenſum elicio: niſi prædixiſſet emiſſarius meus, adeſſe fures, vel inimicos, certè iacturam feciſſem, vel periiſſem. Vel, niſi ego ſtudiosè obſeruaſſem ſigna præcedentia rei euentum, malè mecum eſſet actum.

Strob. *Certum eſt, malam rem potius quæram cum lucro.*

Senſus eſt. *Io riceuerò delle baſtonate per hauer il guadagno: Io voglio guadagnare, ancorche mi doueſſe coſtare delle baſtonate.*

Strobilus Euclionem obſeruans, vbi defodiat aurum, ait ſe malam rem, id eſt plagas & ver-

verbera quęſiturũ, ſed cum lucro, Scilicet aurum vt ſubtrahere poſſit. Conueniet in hominem nequam, qui plagis occalluit: qui ob vile lucrum non refutat multos fuſtium ictus. Is malam rem quærit cum lucro.

SCEN. 7.

LYCON.

R*Eſecroq; mater, quod dudum obſecraueram.* Senſus eſt: quo ſacramentó, qua religione meis precibus te obſtrinxeram, eadem te libero: atq; permitto rem tuo arbitrio, facias vtrum malis. Ductum ab eo, quod cum reus populum comitijs per Deos orauerat, id eſt, obſecrauerat, vt eo periculo ſe liberaret: iubebat illum magiſtratus populum reſecrare, id eſt, religione ſoluere. Accommodari poterit conſuetudini, qua vtuntur arbitri honorarij, hoc modo: duo litigantes ceperunt arbitrũ, atq; eius ſe arbitrio ſtaturos iure iurando affirmauerant. Arbiter quaſi ſtipulatione quadam, hoc modo obligat vtrumq;: promittiſne, vel obſecro te, vt promittas ratum te habiturum, quodcumq; in hac controuerſia ſtatuero. Reſpondeat vterq; promitto. Eſto paullò poſt, alter horum recedit à conuentis: irritum facit

ar-

arbitrium: pœnitet eum promiſsionis: edicit nè arbitretur, ſententiæ eius ſe pariturum eſse negat. Tũ arbiter alterũ aggrediatur his verbis.

Io ti libero dell'obligo, ti rendo la parola datami, ti leuo la parola data, ch'io voglia decidere & commodare queſta lite, fà il fatto tuo, io t'aſſicuro, che nõ ſarà pericolo, che tu ſia tenuto mancatore di parola. His Plautinis verbis commodè vtatur: *Reſecro, quod obſecraueram.*

SCEN. 8.

STROB.

PICOS diuitijs, qui aureos montes colunt, Ego ſolus ſupero.

Adrianus Turnebus lib. 25. aduerſ. c. 26. de hoc loco ſic ſcribit. De Arimaſpis, intelligo vnoculis, qui Riphæos montes incolebant, & auraria metalla fodiebant, quæ rumor erat à gryphis cuſtodiri, quos Latini picos appellant. Ergo cum in Aulularia ſcribitur, *Pici diuitijs, qui aureos montes colunt.* Gryphi intelligendi ſunt. Hactenus Turnebus. Lambinus etiam multa in hunc locum. Ego prouerbij figuram oſtendam. Si hominem opulentum notare volumus, dicere poſsumus, eum *Picos ſuperare diuitijs.*

V SCE.

SCEN. 9

EVCL.

QVi veſtitu, & creta occultant ſeſe, atq; ſedent, quaſi ſint frugi.

Senſus eſt: qui ſimplici cultu, & facie fucata obambulant, ſpeciem præferentes bonorum virorum. Quadrat in hypocritas, qui manſuetudinem, modeſtiamq; adſpectu oſtentant, re autem vera nihil illis peius atque intemperantius. Vel in mulieres, quæ lecythum in malis habere dicuntur, inceſſu & oratione probæ, animo & actionibus turpiſsimę.

SCEN. 10.

EVCL.

REpudium rebus paratis, atq; exornatis nuptijs?

Ego inter prouerbia non abſurdè numerari poſſe puto, hac ratione: Siue tranſactum ſit, data hinc inde fide: ſiue quid promiſſum, atq; aliquis eorum, ad quos pertineat, irritum atq; infectum velit, tūc locus erit.

Vt

Vt ducatur ab illis, qui promiſerunt ſe virginem ducturos vxorem: quam ſi parum caſtam, vel alia cauſſa nō ducendam eſſe compererint, repudium renuncient. Tum ille, qui omnia ad nuptias pertinentia parauerat, *repudium*, dicat, *rebus paratis atq; exornatis nuptÿs*? Quaſi dicat, iam non eſt integrum pactum infitiari: maturè oportuit renunciatum. Simile videtur illi, *galeatum ſerò duelli pœnitet.* Ital. hoc ſentiunt, cum dicunt: *Poiche ſi è poſto in ballo, è tardo il pentirſi.*

Eucl. *Ad malum malę res plurimæ se agglutinant.* Simillimum illi. *Non eſt malum ſine malo.* Itali. *Ogni male vuole gionta.*

ACT. 5. SCEN. I.

STROB.

REpperi, non quod pueri clamitant in faba ſe reperiſſe. Senſus eſt, non reperi aliquod puerile, leue, nugatorium, ſed quiddam charum, & magni pretij. Adagionis induet naturam, quo vtatur is, qui theſaurum, vel magni ponderis quidpiam reperit: dicat, *non quod pueri, etc.* Scilicet vermiculum aliquem, qui fabam

erodere ſolet. Ruſticis in agro Ticinenſi, ſi quid tale contigit, dicere ſolent, *penſi tu ch'io habbia trouato vna ſpina in vn piede?* quaſi dicant putaſne quid mihi repertum, quod damno potius, quam vſui futurum ſit? Ita Strobilus inuento theſauro iactabundus per liptoten rem pretioſam intelligendam monet.

E X

CAPTIVIS.

ACT. I. SC. I.

ERGASIL.

VBI res prolatæ ſunt, cum rus homines eunt,
Simul prolatæ res ſunt noſtris dentibus.

Verba ſunt paraſiti, quorum ſēſus eſt; quo tempore res forenſes & iudiciales producte & in aliud tempus reiectæ ſunt: vbi iuſtitium indictum eſt: vbi rerum forenſium & iudicialium intermiſsio, & in aliud tempus prolatio facta eſt, noſtris quoq; dentibus ceſſatio & otium indicitur. Hæc Lambinus. Adde eo tempore diuitiores, qui paraſitorum gaudent conſuetudine, rus concedunt, neq; aſſentatores admit-

admittunt, ibi malè nobiſcum agitur.

Erg. *Suo ſibi ſucco viuunt, ſi ros non cadit.*

Cum cochleis comparat paraſitos, quæ ſuo ipſarum ſucco viuunt, feruido anni tempore. Paraſiti ſi ros non cadit, hoc eſt, ſi nihil aliunde abradi palpando poteſt, ſuo ſumtu viuant neceſſe eſt. Facetè competit in ſycoph. quorum opera à nemine eſt vocata: qui neminem habent, cui palpum poſsint obtrudere.

Erg.

Vel extra portam ire trigeminam ad ſaccum licet. Iocus feſtiuiſsimus in eum, cui res redijt ad reſtim, qui ad extremā penuriam redactus eſt. Itali. *biſogna andare con la taſca per le porte.* Senſus eſt, mendicando victum quærere licet. Ab eo, quod extra portam Oſtienſem ſedebant mendici, & ſaccum manutenentes, ſtipem petebant à prætereuntibus.

Erg. *Prolatis rebus paraſiti, venatici.*
Sumus: quando res redierunt, moloſſici.

Senſus eſt: Quando non adſunt, à quibus aſſentando victum auferamus, tenues, & graciles ſumus, & ad quærendum expediti. Vbi autem nacti ſumus, quem vorando exhauriamns, ibi moloſsi, hoc eſt, pingues, obeſi & mordaces ſumus. Verba adulatori conſentanea. Huic ſimile apophthegma Diogenis, qui percontanti cuius generis canis eſſet (Cynici enim philoſophi canini dicebantur, ob mordacitatem)

reſpōdit, eſuriens, Melitæus, ſatur moloſſus. Sentiens, eblādiri ſe cibum ab alijs conſueſſe eſuriētē: vbi autē ad ſatietatē ediſſet, mordere eoſdem, qui cibum dediſſent. Qui ſint catuli Melitenſes, & qui moloſsi, notiſsimum eſt.

SCEN. 2.

P. A R A S.

FORIS aliquantillum etiam quod guſto, id beat.

Italicè. *Dolci ſono i bocconi fuor di caſa ſua.* Quadrabit in menſarum aſſeclam, in athletam bœotum, quem Iuſubres aiunt, *Egli ſtà commodamente, viue bene in qual ſi voglia loco, eccetto che à caſa ſua.*

Huc pertinet etiam illud Diogenis, qui interrogatus, quinam piſces eſu ſuauiores viderentur, reſpondit præter expectationem, is, quem edo in vicinia. Nempe ſuaue eſſe alienа viuere quadra. Ille, inquit, Ergaſilus cibus, ac potus me beat, lætum, ac felicem reddit, qui in aliorum menſis apponitur.

Paraſ.

Quaſi fundum vendens meis me addicam legibus.

Heg.

Profundum vendis tu quidem, haud fundum mihi.

Prioris

Prioris verſus hic eſt ſensus : Ego eum imitabor, qui fundum certis conditionibus vẽdit, quas ſi accipiat emtor, rata eſt venditio: ſin minus, irrita & nulla. Ita ego tibi meam operam addico: hoc eſt, conuiuam me tibi futurum promitto, ea lege, vt ex ſententia palati mei vorare mihi liceat. Suſcipit Hegio, profundum, ideſt, ventrem fundo carentem, voraginem mihi addicis.

Neg. *Non meus ſcrupoſam victus commeat viam.* Senſus eſt, non ego victito carnibus ferinis. Ferræ enim per vias ſalebroſas indagandæ sũt. Conueniet in pauperculum, qui teſtato edicit inuitatis, ne ſperent ſumtuoſum apparatum.

Paraſ. *Cum calceatis dentibus veniam tamen.*

Riſum captans Plautus ſic loquitur. Abſurdum enim eſt, dentes dicere calceatos. Sed reſpicit ad illud paraſitus, quod dixerat Hegio, non commeat viam ſcrupoſam meus victus. Quaſi dicat, etſi negas te ferinam carnem appoſiturum, ego tamen ita veniam paratus, vt ingurgitare facilè poſsim. Locus erit facetus, ſi quis tenuioris fortunę à principe viro inuitatus ad conuiuium, dicat ſibi dentibus veniendum eſse calceatis: ſcilicet conuiuium eſse apud eum, qui venatione delectetur, vel cui ſint facultates, quibus comparare feras poſsit, quæ conuiuis apponantur.

Hegio. *Terreſtris cœna eſt.*

Cœnam terreſtrem intellige eam, quæ oleribus & alijs è terra natis conſtat: quam dicunt ſine ſanguine. Ruſtici in agro Ticinenſi, quid ſimile proferunt, cum nobiliores ad bibendum inuitant, his verbis: *Io vi darò da bere, purche non vi rincreſca bere dalla terra.* Cum non ſit, vnde vitreos parare cyathos queant, pateras vſui familia riparatas habent fictiles: eas per terram intelligunt.

ACT. 2. SCEN. 2.

PHILOCR.

Qui cauet ne decipiatur, vix cauet etiam cum cauet.
Etiam cum caviſſe ratus, ſæpe is cautor captus eſt.

Hæc eò pertinent, vt intelligas neminem vſq; adeo aſtutum & cautum, qui non circumueniri dolo poſsit. Quòd autem dicit ſæpe cautor captus eſt: facilè migrabit in paroemiam de eo, qui ſibi nimis videtur oculatus, atq; interea incidit in fraudem. De eo dicunt Itali: *La volpe è preſa al laccio.*

Philocr. *Non igitur nos ſoli ignaui fuimus.*

Hoc dicto ſolari ſe poterit homo maleficus, compedibus vinctus, cum alterum eiuſdem fa-

rinæ itidem captum videt. Etſi, vt inquit Tullius, ex miſerijs aliorum, leuis eſt conſolatio. Quod fortunę fuit, ad ignauiam retulit, non tamen ſine ironia. Huic affinis eſt illa Diogenis reſponſio ab inexpectato. Ducebatur quidam ad ſupplicium deprehenſus in articulo: quęrebat quidam à Diogene, quis & qualis videretur: reſpondit Diogenes ignauus & tardus. Ille de miſerijs hominis loquebatur: hic tarditatem & ignauiam accuſat: quæ niſi foret, non fuiſſet cõprehenſus. Ex his apparet, credo, quẽ in vſum verti poſsit.

Heg. *Quo de genere natus eſt illic Philocrates?*

Phil. *Polyplusio,*

Quod genus illic vnũ eſt pollens atq; honoratiſſimũ. More ſuo Plautus Græcam dictionem retinet. Πολυπλούσιος, dicitur multis opibus abundans, valde diues. Tangit mores hominum, qui quò ditior quis, eò honeſtiorem cenſent. De illis ſat ſuperq; in Pluto Ariſtophanis dictum. Vſur pari poterit ſpecie prouerbiali hoc modo: honoratus, quia Polyplusius.

ACT. 3. SCEN. 1.

PARAS.

Ne canem quidem irritatam voluit quiſquam imitarier. Sen-

Senſus eſt: Nemo voluit ob ridicula mea dicta ad cœnæ quæſtum comparata, cachinnum tollelere. Hæc ſecum queritur paraſitus, qui hamum iecerat infeliciter: nihil lucratus ſcurrilitate. Canem autẽ irritatum imitari dicitur is, qui immodicè ridens, oſtentat dentes, quemadmodum canis rictũ diducens cũ irritatus eſt.

SCEN. 3.

TYND.

OPerta quæ fuere, aperta ſunt: patent præſtigiæ.

Ital. *E ſcoperto l'inganno, le frodi sono paleſe.*

Quadrabit in fraudulentum, cuius deprehenſę ſint technæ & fallaciæ, qui inficiando eſſe non poſsit. Prętigias vocat artificioſos dolos, quibus quaſi faſcinationibus oculos eorum pręſtringit, quibus intendit fallacias:

ACT. 4. SCEN. 1.

TYND.

QVi ex parata re, imparatam omnem facis.

Ital. *Tu conoſci tutti i diſſegni.* De eo, qui rem

rem totam ordine iam inſtructam & ad exitum commodum directam, & paratam, vel vnica voce, vel facto, vel ſigno aliquo, ſubuertit. Exempli cauſſa: initum eſt conſilium, vt quis p fraudē, vel emtis ſuffragijs ſobrogetur in magiſtratū: res clàm habēda: conatus clādeſtini. Qui ſi detecti fuerint, præcluſus eſt aditus: obſtructa via. Quiſpiam fortè imprudens inter amicos effutit, quod occultum haberi oportuit: ſubolet illis, quorum intereſt, prohibere. Is ex *re parata*, *rem facit imparatam*.

Hegio. *Quem vides, eum ignoras: illum nominas, quem non vides*.

Lepidum ſcomma in familiarem ſimulatū. Cui ſcilicet, cum opera tua ſit opus, ſe familiarem profitetur, atq; interea alio te nomine appellat, tuum ignorans. Huic respondeas. *Quem vides, eum ignoras* &c. Itali. *Tu mi pigli in fallo*.

Ariſtoph.

Qui me inſanum verbis concinnat ſuis.

Senſus eſt. Tam appoſitè loquitur ad perſuadendum, tàm ingenioſus eſt verborum cócinnator, vt facilè probet me eſſe inſanū: oratione ſua addúcat homines, vt me inſanire credāt. Tynd. *Inter ſacrum, & ſaxum ſto*.

Adagium notiſsimum de illis, qui in extremo periculo ſunt. Ductum à victimis, quę in fęderibus ſaxo feriri ſolebant.

Ital.

Itali. *Io ſon tra'l martello, & ancuggine.* Latini etiam inter malleum,& incudem,aiunt
Tynd. *An tu fortaſſe fuiſti mea matri obſtetrix?*
Appoſitum illis, qui vbi de ætate cuiuſpiam ambigitur, ſeriò affirmant, tot annos eum eſſe natũ: quaſi ipſi adfuiſſent parturiẽti eius matri.
Hegio. *Nucleum amiſi: reliquit pignori putamina?*
Allegoria: per nucleum Philocratem, per putamina, Tyndarum intelligit. Vſus erit, cum ſignificare volemus, nos quod præcipuum erat de manibus amiſiſſe, & quæ nullius ſint momenti, retinuiſſe. Philocratem liberum, & igenuum dimiſerat ſeruum credens: retinuerat ſeruum, quẽ liberum crediderat. Id nunc queritur, nucleum amiſsum, retenta putamina. Exẽplo illuſtrabo: Vir quidam ſummo loco natus (vera ſcribo, nihil fingo, nomẽ tãtũ ſupprimo) iacturam fecerat in bello: erat miles ſtrenuus, ac ſuis ducibus in primis charus. Euaſit è manibus hoſtiũ incolumis: venit Romã, adſpectũ ſuo genere ſuis virtutibus dignum præferens. Diuertit in hoſpitium publicum ignotus planè ſine ſeruis: ſupererat vidulum adhuc, in quo cõcluſa habebat ſericea quędam tibialia attrita& lacera, triobolo venalia. Facies imperio digna, fidem faciebat cauponi, fore vt ſumtum faceret luculentum,& liberaliſsimè diſſolueret. Ille de ornamentis, de fide ſolicitus, relicto pignori vidulo, obambulat tacitus,& cogitabundus. Incidit

dit fortè in principem virum,ipſi ſanguine propinquum,excipitur honorificè:mittit princeps redemtum vidulum,precioſum quid incluſum ſuſpicatus,vetat à ſeruis attrectari. Diuerſatur ibi dies aliquot:tamdem muneribus ab hoſpite acceptis,diſcedit:reuertitur in patriã.Mediolaneſis erat. Vbi refecti & loculi & corporis vires, familiaribus audientibus vidulo gratias agit:acceptũ refert,quidquid,apud exteros habitũ erat fidei. Inter alia, per apoſtrophem ridens alloquitur cauponem his verbis: Miſeret me tui caupo imprudentiſsime, qui de vidulo tota via erraueris: quod ſi contigiſſet ſubijcere haſtæ,tum demum ſenſiſſes, de ſorte te periclitatum,qui acceſsionibus inhiabas. Hic locus erat dicto, *Nucleum amiſiſti caupo: relicta pignori putamina.*

SCEN. 2.

ARIST.

Exauſpicati ex vinclis : nunc intelligo.
Red auſpicandum eſſe in cathenas denuo.

Lambinus allegoriam eſſe monet, ab auſpiciorum more ductam. Ego, prouerbiali ſpecie vſurpari poſſe puto, vbi quid parum ex ſententia ſucceſsit. Redauſpicandum, ideſt, denuo capienda auſpicia,& alia ineunda conſilia,alias rationes, quibus eò perueniri queat, quò tenditur.

SCE.

SCEN. 3.

ERGAS.

SIne ſacris hæreditatem ſum aptus effertiſſimam.

Quid ſit hęreditas ſine ſacris, Lambinus docet his verbis: ſacra familiaria pecuniam ſequebantur, id eſt, eos ad quos pecunia teſtatoris peruenerat, puta hęredem, bonorum poſſeſsorem, legatarium, aliumue ſucceſsorem, ſi non extabat hæres. At ſacra ſine ſumtu fieri non poterant, vt neq; hodie fiunt. Itaq; hęreditatem minuebant alia magis, alia minus. Qui igitur hęreditatem præfert im opimam adeptus erat ſine ſacris, is iure lętari poterat: quia magnum lucrũ fecisset ſine vllo intertrimento. Hactenus Lambinus. Eſt igitur hęreditas ſine ſacris, quodcumq; ſine opera, noſtra ſine ſumtu alicunde optigit lucri: quæcumq; commoda præter ſumtum obuenerunt.

Cęl. Rhod. lect. ant. lib. 12. cap. primo, de ſacrificijs hæc ſcribit: Sacrificiorum alia dicebantur epitheta, quæ patria non erant: ſicut etiam feſta epitheta, velut dicas adiecta, appoſitaq; alia dorophorica (munerum oblatitia, vel munera offerentia, interpretor) nuncupabãtur,

tur: alia apolytrotica(redemtoria dixero)alia dialectica: (interrogando & reſpondendo trā-ſigi ſolita crediderim) Item quædam apopleſtica (ſuſpicor ab illis fieri ſolita, qui reduces à nauigatione.) Sunt & quę athyta vocantur, id eſt,ſine ſacrificijs.

SCEN. 4.

ERG.

N*Am meus eſt balliſta pugnus: cubitus catapulta eſt mihi.*

Dici poteſt de homine irato, & ad nocendum procliui, qui tamen ſit inermis. Senſus eſt,arma mea sūt pugni, & brachia.

Heg. *Hic in ventrem ſumſit confidentiam.*

Per iocum dici poterit de eo, qui vbi cyathos ſorbillauit ad ebrietatem, verba profert minacia. Vt ſit Senſus, tantum vini ingurgitauit,vt iam ebrius ſit factus confidentior.

Itali. *Egli braua perche è vbriaco.*

Hoc ſenſit Horatius, cum de ebrietate loquens dixit.

Spes iubet eſſe ratas:in prælia trudit inermem.

Heg. *Baſilicas edictiones atque imperioſas habet.*

Ital. *Egli comanda da padrone, crede che ſiamo i*

ſuoi

ſuoi ſeruidori: fà del protomaſtro.

Regias edicendi formulas habet: More principum atq; regum edicit.

Heg. *Abi ſtultus, poſt tempus venis.*

Itali commodè hoc ſua dilecto proferunt.

Chi tardo arriua, malamẽte cena, & peggio alberga.

Tempus hic non generale eſt, ſed ſignif. articulum illum, quem dicunt opportunitatem Græcis . Eiuſdem ſenſus eſt illud.

Poſt feſtum venire miſerum eſt.

Ergaſ. *At nunc Siculus non eſt, Boius eſt, Boiã terit.*

Feſtiuiſsima amphilogia in dictione, *Boiam:* Nàm Boia ſignificat fœminam ex regione illa, quæ hodie Bauaria dicitur: & vinculi genus tam ligneum, quàm ferreum. Paraſitus igitur ſignificare volens Stalagmum vinctum eſſe, & vinculum, vt monet Lambinus, quo adſtrictus eſt, terere, ait eum Boiam terere. Hic in ambiguo iocus eſt: poteſt enim accipi in eum sẽſum, quaſi Boius factus, id eſt, incola regionis illius tranſrhenanæ, Boiam habeat vxorem. Qui enim crebrò rem habet cum muliere, eam terere dicitur: & vincula terit, qui vinctus eſt. Conueniet in hominem, qui in carcere detentus ſit. De eo quærenti quid rerum gerat, reſponderi poteſt, Boius eſt: Boiam terit. Itali dicerent, *Egli ſtà all'ombra fruſtando le catene, i ceppi.*

SCEN. 5.

ERG.

Quanta pernis peſtis veniet : quanta labes larido :
Quanta ſumini abſumedo:quanta callo calamitas.
Quanta laniis laſſitudo : quanta porcinariis.

Scomma in homines voraces, lurcones. Senſus atq; vſus hic erit: Veniat nuncius, qui dicat hoſpites aduentare edaces, rei familiari labefactandę idoneos: reſponderi poterit cum admiratione ſimul & miſeratione. *Quanta pernis &c.*

Ergaſ. *Nunc ibo ad meam præfecturam, vt ius dicam larido.*
Et quæ pendent indemnatæ pernæ, eis auxilium vt feram.

Lamb. Allegoria eſt, ducta á præfecturarum ratione, & præfectorum conſuetudine. Solebant enim pręfecti in ſuis præfecturis ius dicere. Ad eorū igitur exemplū ait paraſitus ſe ire ad pręfecturam ſuam, vt ius dicat larido. Hæc ille: adde, pręfectura paraſiti quęnā ſit, ſi quęratur, reſponde, *ius dicere larido*. Perge: quid ſibi velit ius larido dicere ambigitur: reſpōdeş

qui ius dicit ſuum cuique locum, ordinem, bona aſsignat, reſtitui iubet, ſi quid loco motum, vel ablatum: Locus larido deſtinatus eſt pulmentum, ius, & alia opſonia condienda, vt gratiora ſint palato. Ad hoc enim ſale conditum aſſeruatur laridum. Hinc habes, quod ius dicturus larido ſit Ergaſilus. De pernis pendentibus eadem ratio: quibus auxilium ſe laturum dicit: nempe ne amplius pendeant vſui familiari, cibo accommodaturum.

SCENA 6.

Puer Heg.

NAm hic quidem vt adornat, aut iam nihil eſt, aut iam nihil erit.

Ital. *Secondo'l principio, ch'egli fà, certamente conſumerà il tutto: moſtra attione di ſpazza piatti.*

In hominem voracem, qui initio heluantis ſpeciem præ ſe fert: quaſi paropſides ſimul cú opſonio deuoraturus ſit.

ACT.

ACT. 5. SCE. 3.

Tynd.

I*Tidem hæc mi aduenienti vpupa, quæ me delectet, data eſt.*

Tyndarus in lapicidinam detruſus,& iam reuocatus,queritur de miſerijs, quas ibi ſit perpeſſus:per ſimilitudinem,vt docet Lamb. ait ſibi vpupam eſſe datam (ironicè loquirur) qua ſe ſe oblectaret in ergaſtulo:Nempe malleum,quo lapides cæderet: quemadmodum pueris ingenuis & patricijs, tũ apud Græcos, tũ apud Romanos,aues dari ſolebant,quibuſcum luſitarent:vt paſſeres, coturnices, anates, monedulæ & ſimiles. Per iocum dici poterit de illis, qui vel triremibus ſunt deſtinati, vel alia pœna laborioſa affecti. Quibus remi ſint pro vpupa, vel potius, vt hodie loquuntur Itali, ſi quem vident recta via pergentem ad triremes,eò ducitur,vbi ad manus ſẽper erunt arma,quibus feriat piſces,*Egli và à guerreggiare co'peſci*. Ruſtici ligonem oſtentantes, dicere ſolent, *io non hò imparato à ſcriuere con altra penna, eccetto che con queſta* .ſ. non alios ſe magiſtros habuiſse, quam qui fodere ac ſartire docerent. Hac vpupa ſe ſe delectent more no-

bilium, quorum pueris auiculę dãtur oblectandis. Quòd autem vpupã potius dixerit, quã aliam auẽ, eius rei ratio eſt: reſpicias malleũ: conſideres criſtam & roſtrum vpupæ: apparebit ſimilitudo. Accedit eò, quod vpupa priſcorum ſuperſtitioni auis erat inauſpicata. Simile eſt illud Inſubrum, cum vident quempiam virgis cædi per cõpita, aiunt illi beneuolum eſſe carnificem: vel lictorem, qui muſcas abigat infeſtas. *Gli caccia le moſche d'intorno.*

EX
CVRCVLIONE
ACT. I. SCE. I.

Palin.

Semper tu ſcito, flamma fumo eſt proxima

Idẽ plane enunciãt ſua lingua Itali. *La ſtoppa poſta vicina al fuoco, toſto ſi accende.* Hoc dicit Pali nurus: quæ oſcula & complexum admitit, non eſt habendã pudica: niſi fortè baſia parentum & proximè agnatorũ, quæ proficiſcuntur ex affectibus pudiciſsimis. Secus proximus eſt cõcubitus, actuſque Venereus. Metaphora à fumo, qui ab igne oritur, quemque ignis è veſtigio conſequitur.

Palin.

Palin. *Fumo comburi nihil poteſt, flamma poteſt.* Hoc pertinet ad mores Gallorum,& Germanorum,quibus non ſunt adeo, vt Italis, ſuſpecta oſcula & conplexus: quippe qui zonam non ſoluunt virgineam, neq; pudicitiam contaminant. Quidnam ſit cauſſæ, cur proniores ad rem Veneream ſint Itali atq; Hiſpani, quam Germani, ediſſerant ij, qui rerum naturam, & cur quidq; hoc vel illo modo fiat,didicerunt.
Palin. *Qui è nuce nucleum eſſe vult,frangit nuncẽ.* Dictum ſcortatoribus vſitatum, ac meretricibus. Senſus eſt,qui ad conſuetudinẽ ad ſpirat. obſtinatã ſeruandæ pudicitię volũtatem frãgat lenocinio,ſuauijs, & alijs amatorijs illecebris.
Palin. *Nemo hic prohibet, nec vetat.*
Quin quod palàm eſt, venale,ſi argentum eſt,emas.
Nemo ire quemquam publica prohibet via:
Dum ne per fundum ſeptum facias ſemitam.

Feſtiua quidem allegoria, ſed planè ethnica. Senſus eſt,quę publicè proſtat meretrix,cũ ea cõſueſſe fas eſt, quia publica. Argumentum Socraticũ,cuius ſedes à via publica,& à mercibus vænum expoſitis, quas modo pecuniã habeat,emere cuilibet per leges licet. Ethnicum, inquam,legibus Chriſtianis planè cõtrarium. Per fundum ſeptum intellige virgines ingenuas,& nuptas in honeſta familia. Semitam facere,eſt frequenter ad turpitudinem ad fornicationem, & adulteriumq́ ſollicitare.

SCEN. 2.

LENA.

F*Los veteris vini meis naribus obiectus eſt* . Si quem ebrioſum perſtringere velimus, quem odore vini ad extremos vſq; perducere liceat Indos, appoſitum erit. *Flos vini naribus obijciatur*.

SCEN. 3.

Planeſ.

V*BI tu es, qui me libello Venerio citauiſti?* Budæus in Pand. Libellus eſt, quam vulgo requeſtam appellamus. Idem in foreņſibus: Libello citare: Libellari vadimonio in ius vocare: vt ſolent facere, qui redhibitorium iudicium intendere inſtituerunt. Hęc ille, & adfert hunc locum ex Plauto. Libello igitur *Venerio* citatus dici poteſt, qui quaſi *vadimonijs Venereis*, ut in pręcedente uerſu eadem Planeſium, obſtrictus, quaſi iudicio ſiſtere ſe cogitur. Re-

ferenda

ferenda ſunt ad vires amoris. Competit in amatorem, qui concitato gradu pergit ad ædes amaſiæ, feſtinationis cauſſam quærenti reſpondeatur *libello Venerio citatum eſſe*.

Pal. *Tun' etiam cum noctuinis oculis odiũ me vocas?* Viſum eſt adnotare, quod Lambinus longa verborum ſerie quærit, cur Planeſio noctuini oculi maledicti loco obijciantur à Palinuro, cũ Palladi ab Homero laudis cauſſa epitheto ferè perpetuo oculi noctuini tribuantur. Glaucopis enim ab eo vocatur, quaſi cæſios & glaucos oculos habens. Tandẽ poſt multas ambages, eò redit, vt noctui nos Planeſij oculos à Palinuro accuſatoriè, & per calumniã eſſe dictos intelligi velit, pro glaucis, cum re vera eſſent glauci, & ita pulchri: ſeruũ autem à puella laceſsitum & iratum rei natura pulchrę, turpe nomen impoſuiſſe: vt accuſatores liberalitatem dicere ſolent eſſe profuſionẽ: & parſimoniam, auaritiam. Poterant iſta verba cõpendi fieri (vt Plautus loquitur) & paucis exponi veritatẽ in iurgio pro contumelia accipi ſolitam. Vulgo dicitur, verba intelligenda ſunt ſecundum intentionem proferẽtis: hoc eſt, quo animo, quoue conſilio quid dicatur, fiatue, magis, quã idipſum, quod dicitur aut ſitſpectari ſolet ac debet.

Plan. *Noli, amabo, verberare lapidem, ne perdas manum*.

Senſus eſt, noli hominem cædere, qui lapidis inſtar ad plagas obduruit, eaſq; contemnit, ne manum verberando lædas. Quadrabit in eum, qui maleficijs aſſuetum ad rauſim vſq; obiurgat, nec tamen proficit hilum.
Ital. *Tu perdi il fiato, altro non fai.*

ACT. 3. SCEN. 1.

CVRCVL.

ET quidem reliqui in ventre cellæ vni locum.
Itali, hoc imitantes commodè exprimunt ſua lingua, de homine vorace, qui numquam videtur ediſſe ad ſatietatem: numquam eſt ſatur: ſemper videas famelicum. *Egli hà ſempre vna camera per vn foraſtiero.* Peregrinum vocant, ſi quid eſculenti fortè offeratur: cellam verò locum in ventre vacuum.
Lyc. *Summane ſalue.*
Dicterium in hominem rapacem: quaſi dicat furaciſsime ſalue: ſalue voraciſsime: ſalue vitæ charybdis: ſalue barathrum macelli. Ab eo, quòd priſcis Summanus manium Deus eſt habitus, qui & Orcus dicitur, qui omnia rapere ac deuorare credebatur.
Curc. *Meus hic eſt: hamum vorat.*

Alibi hoc expoſuimus: neq; tamen pigebit idẽ repetere ob feſtiuitatem. Si quis verbis noſtris ad fallendum compoſitis, habeat fidem: vel ſi quis partem parologiſmi concedat, is hamum vorare prouerbiali ſpecie dici poterit: nempe facilè victum iri, cum iam non poſsit negare, quod conceſſerit. A piſcibus in eſcatis metaphora. Itali, *hà preſo il boccone.*

ACT. 4. SCEN. 1.

CHOR.

HAlophantam, an ſycophantam, hunc magis eſſe dicam, neſcio.

Hic ſiſtẽdus tibi gradus, lector amice, & oculate: Habebis doctorum virorum varias, & inter ſe diuerſas in hunc locum ſentẽtias, à quibus ipſa me ratio & conſecutio diſſentire facit. Audi omnia, quæ Lambinus, prius quam noſtra.

Verſus eſt primũ (inquit) variè ſcriptus, & in libris manuſcriptis, et apud veteres Grãmaticos: deinde valde obſcuras, & variè à doctis explicatus. Nã alij libri habent kalophãtã, an ſycophãtã &c. Alij holophantã, an ſyc. Alij helcophantam, alij, vt edidi, halophantam. Feſtus legit, Halapantam, & interpretatur: omnia

men-

mentientem: hinc ab ἄλης, hoc eſt, πλάνης, & ἅπαντα, i. omnia. Sed errat Feſtus. Nonius halophantam quidem legit, vt nos edendum curauimus, & hunc verſum profert, ſed non explicat. Tantum ſcribit, halophantam, & ſycophantam eſſe genus hominum nequam. Camerarius, qui hanc eamdem ſimiliter lectionem ſecutus eſt, putat halophantam dictum eſſe à Plauto eadem ratione, qua ſycophantam: vt quemadmodum ſycophanta dictus eſt ab oſtẽdendis ficub⁹: ita halophantã dictus ſit à ſale, q non probo: quamquam ille non longè admodum aberrat à ſcopo. Turnebus autem exiſtimat, neſcio quibus hominibus aſſentiens, legẽdum holophantam, quaſi in tota re, aut prorſus fallacem, aut omnibus in rebus impoſtorem: quod nihilo magis probare poſſum. Alciatus autem parerg. lib. 11. cap. 4. nonnullos libros manuſcriptos ſecutus legit kalophantam: & interpretatur, χρηστολόγον, id eſt, qui vtilia quidem, & honeſta loquitur, & cuius honeſta oratio eſt, ſed facta ab oratione diſcrepant. Multò minus mihi hæc probantur. Hæc Lambinus. Deinde ſuam ſententiam promit, his verbis. Quid igitur nobis videatur, nunc exponamus. Primum halophantam vt iam diximus, legendum eſſe arbitramur. Deinde huius verſus ſententiam hanc eſſe dicimus: Ornatus erat Curculio veſtitu nauclerico, hoc eſt pallio-

palliolo ferrugineo, (qui color thalaſsicus, id eſt, marinus eſt) tamquam ex Caria Epidaurum naui aduectus, & modo è naui egreſſus. Hunc igitur videns Choragus, cuius erat, actoribus veſtitum, & cetera neceſſaria ornamenta præbere, & non ignorans eum à Phædromo ſub ornatum eſſe ac ſubmiſſum, vt trapezita, & lenone deluſis ac deceptis, virginem abduceret: ait ſe neſcire, vtrum eum dicat halophantam, an potius ſycophantam. Cur ſycophantam eſſe dicere debeat, id eſt, apud Latinos impoſtorem apud Græcos calumniatorem: cauſa eſt, quòd perſpicuè ſit à Phædromo ſubornatus, non à milite miſſus, & quod litteras falſas, pro veris trapezitæ dederit. (Sycohantæ autem nomen apud Græcos, à tali origine & cauſſa natum eſt, vt docet Feſtus. Atticos quoſdam iuuenes ſolitos eſſe aiunt, in hortos irrumpere, ficoſq; legere: quam ob cauſſam lege eſt conſtitutum, vt, qui id feciſſet, capite truncaretur. Hanc pœnā qui perſequebātur ob paruula detrimenta, & vt crimen probarent, ficus lectas & ablatas oſtēdebant, ſycophantæ ſunt appellati. Eadem fere apud Athenæum, & Suidā de ſycophantarum appellatiōe ſcripta ſunt. Hinc ſycophātę dicti ſunt etiam impoſtores, & qui fucum faciunt, & qui ſimulantes, quę non ſunt, alterum decipiunt & circumſcribunt.) Hic igitur Curculio, quia Liconem falſis tabellis decipit non

immeri

immeritò ſycophãta, id eſt, impoſtor & penè dicam calumniator dici debet. Rurſus quia eumdẽ Lyconẽ falſo & ementito veſtitu, qui marini coloris erat, quaſi è naui iam egreſſus inducit, atque in fraudem impellit, videtur non iniuria halophanta nominadus. Halophanta autem vox eſt à Plauto, opinor, confiĉta, à nomine Græco, ἅλς ἁλὸς, quod mare ſignificat & verbo Græco φαίνω, quod valet oſtendo: immò holophanta quidem idcirco videtur appellandus, quia veſtitum coloris marini gerit, & colorem marinum ornatu, ac veſtitu præſefert, atque oſtendit: Sycophãta verò, quia Lyconi fucũ facit, verba dat, atque imponit. In hac autẽ nominum affinitate, & quaſi annominatione iocus ĩeſt Plauto dignus. Hactenus Lambinus. Mirabar niſi bellum Troianum ab ouo gemino ordiretur. Sed antequam ad noſtra veniamus, aſſuatur Lãb. ſycophantæ, quaſi emblema, vnus atque alter pãnus. Athen. lib. 3. dipn. Iſtrus in rebus Atticis non licere cuiquã ſcribit, ex agro Atheniẽſi natas ibi caricas exportare, vt ſoli loci ipſius incolę his fruerentur. At cum multi harum fures reperirẽtur, effectũ eſt, vt qui illos coram iudicibus accuſarent, ſycophantę primũ ſint dicti

Interpres Ariſthop. in Pluto hoc modo. Cum in Attica peſtilentia eſſet, quod ficus Dijs ſacratas clã abſumerẽt. Poſtea, ſtatuta pœna,

liqui-

quidã eos deferebant, & inde ſycophantæ dicti ſunt. Idẽ: Vetitũ erat Athenis inde aliò exportare ficos. Cũ aũt quidã vellẽt exportare, viri in portarũ veſtibulis, vel exitu ſtantes aſtuti, dolũ eorũ deprehendebant, detegebant, quo exportabant ficos. Vocabãtur igitur ſycophantæ, quaſi ficus oſtendentes. Ex illo tempore nomen illud inditũ eſt oĩbus verſutis, fraudulẽtis.

Euſtath. in Odyſſ. Hom. 4. oſtendit etymologiam his verbis: φαίνει γὰρ καὶ ὁ συκοφάντης τοὺς συκοκλέπτας, ὡς ἡ ἱστορία λέγει, id eſt, oſtendit. n. & ſycophãta fures ficuũ, vt eſt in hiſtoria. Vbi docet Grecis verbum φαίνειν, etiam eſſe idem, quod accuſare, nomen deferre. Quod ſomniat Feſtus de nominis ronne, quam rectè, videat criticus. Quod vero Lamb. ait eodem modo legi, apud Athenæum, de ſycophantarũ appellatione, quo apud Feſtum, id intelligi poteſt, verum ne ſit an falſum, ex ijs, quę ego ab alio Latinè reddita adſcripſi. Euſtathium autẽ & Ariſtoph. interpr. ego ipſe verti: ſatiſfecerimne auribus latinis, eſto iudicium alterius. Sed iam mihi cauſſæ actionem poſtulo acroamaticam .ſ. foribus occluſis, & ſubmoto vulgo mucoſo, iudicem mihi dari volo ęquum, oculatum, & omunctæ naris. Id ſi contingat, non dubito, quin Lambini cauſſa in lubrico & pręcipiti vertatur. Primus omniũ Feſtus cum uo halapanta, iubente Lambino, meq; ſubſcribente,

ſcribente,abeat è medio Camerarius ſuũ monſtratoré ſalis ſibi habeto : nihil ille ad Perſium. Turnebo holophantam excutiendum relinquo num quid huc pertinens eruere inde poſsit. Alciatus Kalophantam adducit: in eo, nominis rationẽ poſsitne probare, & liceatne per leges Grammaticorum, eius ſignificationis formare vocabulum ratione, qua ipſe formatum putat, ſemetipſum conſulat in receſſu. Lamb. adeſt: verboſam potius, quam veram adferẽs rationẽ Halophantæ. Ingreſſus tamen erat viam, ſed paullò longius progreſſus aberrauit. Quorſum enim Halophanta à mari? vbi feſtiuitas Plautina? vbi lepos? vbi ſales? Sed quęſo examinemus ſingula curioſius. Choragus videns Curcul. veſtitu nauclerico colore marino, nõ ignorans eum a Phædromo ſubornatum eſſe ac ſubmiſſum, vt trapezita, & lenone deluſis, virginem abduceret: ait, ſe neſcire vtrum eum dicat halophantam, an potius ſycophantam. Et paullò poſt: Halophanta autem vox eſt, à Plauto, opinor, conficta, à nomine Græco ἅλς, ἁλὸς, quod mare ſignificat, & verbo Gręco φαίνω, quod valet, oſtendo. Immò halophanta quidem idcirco videtur appellandus, quia veſtitum coloris marini gerit, &c. Lambini verba eò tendunt, vt ſit ſenſus: neſcio dicam eum eſſe impoſtorem, an hominem nauclerico habitu incedentem. Alio modo Plautus captat, alio

modo

modo Lamb. mouet riſum, vel nauſeam potius. Huc agite iudices: mentem animum atq; aures aduerte lector: periclitabimur nares noſtras, num quid ſalſius ac lepidius hic latitans ſubodorari poſsint. Halophantam rectè dici aio: at alia ratione, quam Lambinus ἁλέω, verbum Grecum eſt obſoletum, pro quo vſurpatur ἁλίσκω, id eſt, capio, phanta, additum puto per parelcon, vt ſit otioſum, nullius ſignificationis: quemadmodũ Cicero ait, liminium, in dictione, poſtliminium: Plautum hic iocari ſuo more in rhythmo, halophantam, ſycophantam. Senſus ſit: impoſtoremne dicam fraudulentum, an potius rapacem, furem: reſpiciat tantum verbi ἁλέω, ſignificationem, & ludat homœoteleuto. Sic apparebit ludus Plauto familiaris: qui ſæpiſsime, noua atq; inaudita fingit vocabula, vt riſum captare, & auditores in attentione retinens, tædium excludere poſsit. Hanc meam coniecturam probabilem faciunt, quæ ſequuntur, Choragi verba.

Ornamenta, quæ locaui, metuo vt poſſim recipere. Quamquam cum iſthoc mihi negotij nihil eſt: ipſi Phædromo credidi.

Scilicet à Curculione metuit, ne intercipiat ac interuertat ornamenta: vt ipſe Lãb. Mihi ſic videtur. Nolim tamẽ altercationẽ hanc videri tumultuoſam, quę in frigentẽ deſinat cataſtrophen. Alciatus haud nihil dicit de kalophanta.

ſi poſte

ſi poſterior pars compoſitionis ita aptari posſit, vt ſignificet, dicere: tueri.n.ſuam rationem poſſet verbis Choragi:

Aedepol nugatorem lepidum, lepidè hunc nactus eſt Phadromus.

kalophantam, an ſycophantam &c.

Ego quo minus probem eam lectionē, canones impediunt Grammaticorum.

SCENA 2.

Curc.

VTi *muſcæq;, puliceſq;, pedeſq; puliceſque.* Appoſitum hominibus nihili ſcōma, qui vſui nulli, moleſtiæ, & malo tantum videntur eſſe nati: quos Horatius ait, *fruges conſumere natos, terræq; inutile pondus.* Ab animalculis, quibus ęſtate infeſtamur.

Cur. *Rogitatiões plurimas propter vos populus ſciuit*

Vſus eſſe poterit, cum hominē ſceleroſū & maleficum notare volumus ex illorum eſſe centuria, quorū cauſſá rogationes ſciuit populus: hoc eſt, quibus leges ſancitę ſunt. Improbi. n. metu pœnarū, quas maleficijs ſtatuunt leges, continentur in officio.

Caſina

CASINA

ACT. 2. SCE. 4.

STAL.

Ego pol iſtam iam aliquorſum tragulam decidero.
Senſus eſt: Ego conatus & machinas aliqua ratione, aliquo pacto depu lero, ac deiecero, ne mihi noceant. Lambin. allegoriam eſſe ait à re militari. Quid autem ſit tragula, & quis eius vſus, è lexicis petendũ cenſeo. Conueniet, cũ oſtẽdere volemus, inſidias, quibus impetimur, nobis obolere.

SCEN. 5.

Olimp.

Nunc in fermento tota eſt, ita turget mihi.
Senſus eſt: excanduit, ira percita eſt. Metaphora à fermento, quod ſuo feruore maſſam farinæ turgidam reddit.

SCEN. 8.

Chal.

I*Am ego vno in ſaltu lepidè apros capiam duos.* Speciem prouerbij præfert. Ital. *In vna ſtrada far due ſeruigi, vel con vn punto toccare due tauole:* quod eſt familiare ludentibus alueolo. Vel etiam vna opera duos deprehendam maleficos. *In vn'iſteſſo giaccio prenderò due lepri.* Vnde dictum facilè eſt videre.

Chal. *Noſtro omine it dies.*

Hoc eſt, omnia nobis hoc die ex animi ſententia procedunt, quaſi dicat, is eſt nobis ſucceſſus, quem volebamus; tale omen optatum erat nobis.

ACT. 3. SCEN. 1.

Stal.

C*Vm ſuo quiqui facito vti veniant, quaſi eant Sutrium.*

Adagium de illis, qui ad conuiuium ſymbolum cõferre iubentur. Feſtiuè vſurpatur in hũc ſenſum, quo Ital. quando admonent amicum, quem

quem ſimulant ſe velle conuiuam, vt ſi quid edere ac bibere velit, id omne ſecum ferat: lares ipſũ frigidos, ędeſq; inuenturũ eſſe vacuas, *Ne pane, nę vino trouerai, il reſtãte ſe vorrai, porterai teco.* Hoc ego Latinè reddiderim, venies, *quaſi Sutriũ eas*. Notiſſimũ de Sutrio oppido Ethruriæ, ad cuius expugnationem, qui miſſi erant milites, trium dierum commeatum ſecum portare cogebantur, ne in apparãdo tempus tereretur, & Sutrini, qui à Romanis defecerant, celeritate opprimerentur.

SCEN. 6.

Ol. V*Ide fur, vt ſentes ſub ſigno ducas.* Sentes ſub ſigno ducere, Plautina imitatione dicetur furum caput atque ductor. Quaſi dicas, cuius miniſtri ſint manibus aduncis, quidquid tangant, hæreat, quaſi ſentibus tractum. Ductum à re militari.

ACT. 5. SCE. 3.

Ol. V*T ſenex hoc eodem poculo, quo ego bibi, biberet.*

Olympioni pectus atq; os probè contuſum erat: is iam quęrit ſenem, vt eodem mactetur infortunio, quo ipſius emiſſarius erat mactatus. Allegoria igitur eſt, qua idẽ poculum, pro eadem calamitate ponitur. Elegans vſus erit, ſi quis accurrens quęrat ab eo, qui vel virgis vel fuſtibus cęſus ſit, quod vel vnde malum, reſpondeat is, *num tu ex eodem poculo bibere cupis?* Itali, *Forſe anche tu voi, che ti ſia meneſtrato di queſto cibo*.

SCE. 3.

Stal.

ITa manifeſtò faucibus teneor.

Si quis ita deprehenſus, vt effugere nullo modo, neq; infitiando eſſe poſſit, adagio dicetur, *faucibus teneri*, A piſcibus, qui faucibus capti, certè tenentur. Quadrabit etiam in diſputatorem ineptum, qui ſuo, quod aiunt, gladio iugulatur: hoc eſt, ſuis argumentis, vel conceſſis conuincitur, vt iam neq; ad paralogiſmos, neq; ad inuerſionem ſyllogiſmi confugere liceat, ſed quoquo ſe vertat, in eodem quaſi luto hęreat.

SCEN.

SCEN. 4.

Ch. *VBi tu es, qui colere mores Maſſilienſes po-ſtulas?*

Morum turpitudo, animi effœminati Masſilien-ſium, prouerbio locum fecerunt. *Nauigato in Maſſiliam.* Conuenit in impudicos, & immodicè molles. Dicantur, *mores colere Maſſilien-es.*

Stal. *Hac ibo: caninam ſcæuam ſpero meliorem fore.*

Senſus eſt: Quoduis auſpicium, quodcunque ſeſe mihi obtulerit, vel pesſimum minus ma-lum erit, quam ſi vxor mihi obuiam veniat. Turnebus in hunc locum: probè & planè ſcri-ptum, caninam ſcæuam, quod auſpicium ſigni-ficabit: quod canibus plerumq; infelix & in-fauſtum eſt, cum & cædantur, & malè accipi-antur: vel potius latratum canis dicit auſpi-cium caninum, cum ſæuius & aſperius latratu-ra ſit vxor.

CISTELLARIA:

ACT. I. SCEN. I

Len.

EX *patribus conuentitijs.*

Multa in hunc locum ridicula plane, & quæ nihil ad rem faciunt, Lambinus eſt commentus. Modo Feſtum ab re aliena teſtificantem adducit: modo Camerarium ſuos ſibi corymbos nectentem allegat. Mihi ſic videtur legendum. Ex patribus conuentitijs: Hoc eſt, ex frequenti diuerſorum concubitu eam concepi atq; educaui: vt non facilè diſcernas, quiſnam eius ſit pater. Huiuſmodi terræ filios dicere ſolent Latini ignoto patre natos. Spurios iuriſconſultorum quidam vocant, vulgo conceptos. Eos ego dixero è patribus conuentitijs. Italorum vulgus, *figliuoli del commune.*

Le. *Numquam ętate Hecale fies.*

In hunc locum ferè eadem Lambinus, quæ Plutarch. in Theſeo, & Cœl. Rhod. antiq. lect. lib. 30. cap. 11. Adagium duplicem habet ſenſum. Ad eos .n. refertur, quos dicimus numquam paupertate oppreſſum iri, vt ait Cœlius, qui Ouidium laudat teſtem his verſibus.

Eur

Cur nemo eſt Hecalen, nulla eſt quæ ceperit Irum?
Nempe quod alter egens, altera pauper erat.

Quibus apparet, eam fuiſſe pauperculam: cui Theſeus multa debuit adoleſcens, propter hoſpitium, quo comiter ac blandè ab ea eſt exceptus. Apuleius etiam metamorph. eam pauperem fuiſſe indicat. Ex Plauto tamen colligitur, potius ad ſenectutem pertinere ſensũ adagij: cuius rei ratio inde duci poteſt, quod anus fuit Hecale. Quãquam vtercunq; ſenſus ex eodem elici facilè poteſt. Senſus igitur erit, nũquam fias Hecale. i. numquam ad id ætatis peruenies, vt multa ſecula videas. Conueniet, vbi quempiam vel temeritatis vel intemperantię arguere, atq; retrahere ab vtroq; vitio conabimur. Nempe ſi præcipitẽ te in pericula dederis, numquam fies Hecale: hoc eſt, breue erit tuæ ætatis curriculum. Et, niſi deſueueris ingurgitandis cibo ac potu corpus onerare, & promiſcuè noxia perinde ac ſalubria in ventrem ingerere, diu durare non poteris. Id eſt, *numquam fies Hecale.* Senile damnum non experieris.

Gym. *Nam æcaſtor amor & melle & felle eſt fæcundiſſimus:*
Guſtu qui dat dulce: amarum ad ſatietatem vſq; oggerit.

Amorem Orpheus γλυκυπικρὸν. I. dulce amarum vocat, vnica voce Græca. Amorem enim aiunt mortem eſſe voluntariam (de amore inhone-

ſto, & meretricio intellige) vt mors, amarum quid: vt voluntaria, dulcis. De eo ſic loquitur Crates Thebanus: Amori medetur fames: ſi minus, tempus: ſi neutrum horum, laqueus. Sed in re manifeſta, videor opus habere teſtibus, hac ſcriptorum conquiſitione?

SCEN. 2.

Lena.

QViaq; adeò me compleui flore Liberi,
Magis libera vti lingua conlibitum eſt mihi.

Dictum appoſitum in ebrioſorum loquacitaté. Per florem Liberi, intellige vinum primæ notę, prędantisſimum.

ACT. 2. SCEN. 1.

Alceſ.

MAritimis moribus mecũ experitur: ita meum frangit amantem
Animum.

Quinam ſint mores maritimi, non ita reconditum & occultum mihi videtur, vt verboſiore ſit opus expoſitione. Ductum enim dicendi genus a natura maris, quod modò trãquillum, modò procelloſum: modò placatum atq; tutam pro-

mittens nauigationem: modo ventis agitatum nauibus ſubmerſionem minitatur. Senſus igitur eſt: doloſè mecum agit amor: fallax eſt & perfidus: fronte, hoc eſt, initio pollicetur omnia proſpera: vbi paullò longius proceſsū eſt, quaſi fluctibus ac tempeſtate marina intentat naufragium. Notum eſt illud Homeri, quo homines fero atq; inhumano ingenio, è mari nati eſſe dicuntur.

Melæn. *Tu iam ſi quid tibi dolebit, ſcias qua doleat gratia.*

Occentus competens improbis, quibus ſi quid pręter expectationem, pręterq; vota contigit aduerſi, cuius pręter ipſorū furias domeſticas, ideſt, perpetratorum ſcelerum conſcientiam cauſſam videat nemo: obijci poteſt, *ipſi norunt qua cauſſa doleat, quod dolet.* Ital. *Sà ben'egli come ſtà la conſcienza, da doue ſia cauſato il ſuo diſagio.*

Mel. *Hic apud nos iam Alceſimarche confregiſti teſſeram.*

Prouerbio dicitur ille *confregiſſe teſſeram*, qui talem ſeſe pręſtitit in hoſpitio, vt ipſe improbitate ſua omnem ſibi reditum præcluſerit. Ital. *E huomo di non ritornare più d'vna volta alla bottega*, Itali ſentiunt, aduentorem labefactatæ fidei, qui mala fide rem ſibi creditam reddere ſolet. Quid ſit teſſera hoſpitalis, notū eſt. Huc pertinet hiſtoria de illo, qui cum ab amico equum rogaſſet vtendum, quaſi in proximam

villam

villam animi gratia conceſſurus, Romam profectus eſt: poſt menſes aliquos reuerſus, equum reddidit amico itineris longitudine feſſum, & extenuatum, vt vix oſſibus hæreret. Amicum verò accedentem non expectauit, ſed concitato gradu diſcedens, hoc tantum addidit pro gratiarum actione: *Sò quello che volete dire*. Sat ſcio quid ſis dicturus *io nõ vi tornerò più*. Hoc eſt, numquam futurum ſperes, vt iterum equi copiam mihi fieri poſtulem, ſcilicet, teſſerã fregi.

SCEN. 3.

Mel. *Obſipat aquulam.*

COmmodè poterit vſurpari, vbi quis erigit in ſpem, qui animum deſponſurus erat: cum in ſumma rerum deſperatione conſolationis aliquid adfert. Vel, ſi quis nuncio perturbatum infauſto, iubeat eſſe animo bono, nõ tam infelicem atq; horrendum fuiſſe rei euentum, quemadmodum erat nunciatum. Is dicatur *aquulam obſipare*. Itali, *riſtorare, conſolare l'animo deſperato*. Tractum ab ijs, qui aqua adſperſa, recreant animi paſſos deliquium, vt medici loquuntur recentiores. Ego defectum illum, lipopſychiam, vocabulo Græco in Latinorum dictionem recepto, vel ſyncopen dicere malim.

ACT.

ACT. 4. SCEN. 2.

Lamp. *Istuc ago, atq; iſtic mihi cibus eſt, quod fabulare.*

Belliſsimè quadrabit in cætum cercopum, hoc eſt in lucripetas: quibus omnis oratio, etiam de rebus excellentiſsimis & in primis ad honeſtę vitę rationes neceſſarijs putet, ſin olfaciant ad compendiolum aliquod tendere ſermonem ibi arrectis adſtant auribus: dicta vorant auidiſſimè: pendent ab ore loquentis, quaſi piaculum ſit nō præbuiſſe aures feriatas. Vbi verò de virtute, de moribus, de diſciplinis verba fiunt, ibi videas vel oſcitantes, vel quaſi correptos ſopore reclinatos. Exemplo rem illuſtrabo auditu, niſi valde erro, iucundisſimam. Prodeat vir doctus, facundus, celebris dicendi artifex, coram cerdone, vel fœneratore, qui (vt eſt apud Horat.) *quinas exigat capiti mercedes*: Habeat orationem elegantisſimam, quę omnes Veneres Tullianas exprimat: Demoſthenis imitetur hypocriſin: ſit eius orationis argumentum de legibus, de rerum pub. adminiſtratione. Hic vſurarium ac cerdonem dicas habere aures obturatas: videas vtrumq; circulantem, atq; alias res agentem. Scilicet nihil ad eiuſmodi fabrorum

rum malleos quidquam pertinens ibi agitur. Mox adſpergatur aliquid de ratione cumulandæ pecuniæ, augẽdi cenſus, amplificandæ vſurę: vel de calceis laceris reſuendis: ac de ſimilibus ad queſtum cerdonis pertinentibus. Porrectum vtriq; naſturtium: excitati quaſi de lethargo, ſuccinunt ſuam vterq; cantilenam modulans, hoc modo.

Iſtuc ago, atq; iſtic mihi cibus eſt, quod fabulare. Ital. *Tocca queſta corda, il ſuono mi piace. Queſto è regionamento, che per me ſi fà, qui trouo il pane, queſto è quello, perche volontieri io ſento, adeſſo tù l'hai inteſo.* Germani lepidum habent etiam huc referendum dictum: *Das reimet ſich wol.* Id eſt, hic bonus eſt rhythmus, conſonantia & concentus ſuauis.

EPIDICVS.

ACT. I. SCE. I.

Theſpr.

Vtcumq; in alto ventus eſt, Epidice, exin velum vertitur.

Senſus eſt: Qualis rerum ſtatus, talis debet eſſe hominis ſtudium & voluntas. Ital. *Accom-*

commodarſi al tempo . Cicero, tempori, inquit, ſeruire, id eſt, neceſſitati parere, ſemper ſapientis eſt habitū. Simile eſt illud, apud Terēt. *Sciſti vti foro.* Allegoria ducta à nauigantibus, qua monemur pro temporum varietate, variare ac mutare cupiditates.

SCENA 2.

Strath. *Nam quid retulit,*
Beneficium eſſe oratione, ſi ad rem, auxilium emortuum eſt?

Dictum in amicos verboſos, qui malè affectum à fortuna verbis ſolantur: conſilijs abundant: vbi auxilio opus eſt. Quòd ſi quis vel obolum petat, ibi audias ex imo pectore ſuſpiria trahentes, ſuam perinde atq; tuam deplorantes ſortem, quòd non ſuppetat, vnde opem ferre poſſint: cum interea defoſſos in terra theſauros habeant. Sed de hoc hominum genere, ſatis exemplorum eſt.

ACT. 2. SCEN. 1.

Apœcid.
Pleriq; homines, quos quum nihil refert, pudet:

Ibi

vbi pudendum eſt,
Ibi eos deſerit pudor, cum vſus eſt, vt pudeat.

Lucis non eget hic locus: tantum adſcribam Diogenis apophthegma, quod huic ſimile videtur. Vtrumq; .n. appoſitum eſt præpoſteris cautoribus, qui tum demum errant maxime, cum ſeſe nulli putant obnoxios errori; atq; ibi cauent, vbi cauto nihil opus eſt: vbi verò excubandum, ibi dormitant ac ſtertunt. Dicebat Diogenes multos inſanire præter digitũ. Quo dicto taxabat eos, qui grauiſsimè peccant in rebus ſerijs; in leuibus, autem, vbi error, neq; probri neq; periculi quidquam afferre poteſt, ibi cauent quaſi piaculum admiſſuri. Eo reſpexit Diogenes, quòd ſi quis medium digitum pro indice porrigat, habeatur inſanus; in delicta capitalia nõ tam grauis animaduerſio. Hoc plerumq; parentibus vſu venire ſolet, vt filios, ſi quando læua pro dextera vtantur, quaſi grauiſsimè delinquentes caſtigent: cum verò ipſis inſpectantibus res agunt turpiſsimas, verba deblaterant obſcena, conniuent, adeoq; arridentes non raro blandiuntur.

Periph. *Oh Hercules ego fui, dum illa mecum fuit: neq; ſexta ærumna,*
Acerbior Herculi, quæ illa mihi eſt obiecta,

Nota Lector, quod Plauto peculiare: nempe, maritos vxorum oſores ab eo introduci. Habes hic imaginem ac ſimulacrum illorũ, qui

cum

cum deferbuit æſtus ille Venereus ac pruritus, ſcabieſq; libidinis iam minus vexat, odio ab vxoribus capitali disſident: quidquid agunt infeſtum, & inuiſum eſt. Periphanes, *taurus in ſiluam abierat*, quod aiunt: deperibat meretriculam. Ea cauſſa hæc loquitur. Senſus eſt, perinde infelix ærumnoſuſq; fui, vt Hercules, quam diu cum vxore vixi. Sextam ærumnã Herculis, eam intelligo, qua Hippolytam Amazonũ Reginam domuit. Ap. *Pulchra*

Aedepol dos pecunia eſt. P. quæ quidem pol non maritata eſt.

Ille pulchram dotem vocat pecuniam: huic pulchra eſt pecunia, modò nõ veniat nomine dotis. Hoc ſentit: Vbiuis locorũ, quouis tempore plauſibile & pulchrum eſt, habere pecuniam: modò non adiunctam habeat mulierem, vt cenſeatur dotis nomine. Ita enim ſuam venit ſecũ ferens animo caliginem & miſerias. *Pecuniam maritatam* commodè dixeris de muliere, vel deformi, vel labefactatę famæ: quæ ob dotem grandem locata ſit. Illas qui ducunt, neq; oculis neq; auribus, ſed digitis vxores ducere dicuntur: non enim formam ſpectant, aut famam conſiderãt, ſed dotem quærunt. Qui autem elegantiam formæ tantum intuentur de fama parum ſolliciti, illos oculis non auribus vxores ducere dicebãt Olympias. Forma.n. cernitur oculis: fama deprehenditur auribus.

SCEN.

SCEN. 2.

Epid. *Liquido exeo foras*

A*Vſpicio, aui ſiniſtra: acutum cultrum habeo, ſenis qui exenterem Marſupium.*

Feliciter egreſsū ſe ait ſeruus, cui ſenes duo ſint oblati, quos circumducat: argētoq; emungat. Exenterare marſupium eſt, euacuare. Translatum ab eo, quòd animalia exenterari dicuntur, cum extrahuntur inteſtina. Verbum origine Græcum, exentero. Intellige, quaſi nūmi marſupio ſint inteſtina. Cultrum autem habere acutum, ſcommate dixero crumeniſecam, vel eius criminis ſuſpectum, hoc modo: Caue iſtum: *acutum habet cultrum*: vt eò reſpicias, quod cū furtim excipere pecuniam è crumena non poſſunt, ſimul ipſam, vel quibus eſt appenſa ligamiua abſcindunt.

Epid. *Vbi fidemq;, remq;, ſeq; teq;, properat perdere.*

Recenſet Epidicus, & catalogum conficit eorum incommodorum, quæ amatorem cōſequi ſolent, quaſi bonorum defuncti alicuius recenſione, commentarium edat. Vbi fides aſſueto lupanari? vbi rei familiaris, & patrimonij cura?

ra? ſemetipſum perdit, relicta via virtutis, bonorũ q; cõſuetudine. Perdit patrem: cui probro eſt & detrimento: non rarò etiã mortis cauſſa: perdit patrem profuſione, cũ decoquere, & conturbare propter indulgẽtiã ineptã facilitatẽq; prauam, cogitur.

Ep. *Hæc vocabula auctiones ſubigunt, vt faciant viri.*

Vocabula verò ad inopiã redigunt hominẽ? Alia res eſt: Metonymia, vbi ſignũ ponitur pro re ſignificata. Periphanis, quę dixerat, verba ſunt:

Quid iſtæ, quæ veſti quotannis nomina inueniunt noua?
Tunicam rallam, tunicam ſpiſſam linteolum caſicium,
Induſiatam, patagiatam, caltulam, aut crocotulam &c.

Varia veſtium enumerat genera, quæ non tantũ in annos, ſed in menſes etiã formã mutant, & proinde vocabula. Hęc autẽ mutatio ſũtum requirit, quo exhauſti viri in gratiã mulierũ, bona ſua haſtæ ſubijcere coguntur. Sed hic ineptum illud ac vanisſimũ aulicorum Italorum non poſſum non vituperare dictum.

Veſtire à modo d'altri, mangiare al ſuo.

Eia verò, quæſo quinam ſint illi, quos veſtiẽdo imitari iubeatis? prodeat vnus aut alter, qui ſibi cõſtet, qui eam, quam hodie elegit veſtem,

eras, vt recto iudicio electam probet? Prætereà cum alijs aliæ videantur elegantiores, quomodo diſcernam ego, quiſnam propius inſpexerit frugalitatem, decentiam & honeſtatem? Sat ſuperq; . Finge lector, te hiſtriones audire, qui peruncti fæcibus de plauſtro loquantur.

ACT. 3. SCEN. 2.

Epid.

PEratum ductitate, at ego follutum ductitabo. Lambinus multa nimis de dictione (peratum) quæ mihi videntur omni carere venuſtate, & à iocis Plautinis abhorrentia. Sic enim explicat; peratum, id eſt, in peram, quaſi in culleum coniectum, tamquam parenticidam. Quid verò facturus cũ ſene in culleum inſuto? Scilicet is fuerit pro grandi pecunia, qua redimi poſſit amica? Nihil minus. Figuram video nullam, niſi gelaſinis, more cerdonum attractam. Ego ſic interpretor: Peratum adducite ſenem: hoc eſt benè nummatum cum grandi pera, quæ nummis ſit referta, vnde ſuppetat ad amorem. Id ſi feceritis, ego videro, ſitne parenticida an ſecus. Dixerat .n. ego tuum patrem faciam parenticidam, quibus verbis ſignificabat ſe perinde habiturũ eũ atq; culleo inſutum

Quod

Quod de dictione ſollutum ait Lamb. placet: nempe, ego quaſi ſollem agitabo eum. Italos hinc mutuatos crediderim, quod aiunt,

Fù trattato come vna palla, ò pallone.

Percuſſus pugno huc illuc agitatur follis.

Epid. ***Iam ipſe cautor captus eſt.***

Quadrabit in veteratorem, qui ora ſublinere alijs ſolitus, tamdem ipſe aliquando circumductus, irretituſq; ſenſit impoſturã. Itali ***La volpe vecchia è preſa al laccio.***

Cher. ***Verſutior es, quàm rota figularis.***

De homine verſatilis ingenij, aſtuto, & callido: cuius mens celerrimè verſatur, quorum veluti opere manus, ita vſu mens concaluit. Talem deſcribit Vlyſſem Homerus, quem Polytropum vocat. Venuſtas in eo, quod à re corporea, & inanimata, ad animum transfertur.

SCEN. 3.

Per. ***Itaq; me albis dentibus***
Meus derideret filius meritiſſumò.

Albis dẽtibus deridere, eſt, cachinnum tollere, oreq; diducto inter ridendum oſtentare gelaſinos. Id cùm apud alios, tùm apud meæ nationis homines turpiſſimum eſt, præſertim, vbi frequentia eſt litteratorũ, quibus intra ſepta honeſtæ inſtitutionis agere placet. Solent.n. graui

dicterio perſtringere, quem ita vident ridere.

Er ſehēt vvie ein ge kochter ſchaffs kopff.

Hoc eſt, intuetur vt caput ouinum coctum. Ab eo, quòd in capite cocto dentes appareant omnes. Vel etiam ad mores ouillos referatur; quod adagiū pertinet ad homines ruſticanos, &bardos.

SCE. 4.

PER.

Nam ſtrenuiori deterior ſi prædicat
Suas pugnas, de illius ore fiunt ſordidæ:

Pulcherrimum huc pertinens Italorū eſt dictum, allitteratione ſeu paranomaſia conſtans. *Chi ſe loda, ſe lorda.* Qui ſe laudat, ſordibus lædit. Sordide laus in ore proprio.

Latini aiunt eum domeſticū ſuæ virtutis adhibere teſtem: nēpe ſe ipſum. Itali item aliud efferunt, hoc modo, *Egli hà cattiui vicini.* Hoc ſentiunt: infelix niſi eſſet vicinia, ipſe ſuas laudes prædicare non cogeretur.

Per. *Fugias manibus dimiſſis domum.*

Adagio dicuntur manibus fugere dimiſſis, qui contentè, ac celerrimè fugiunt. Quòd inter currendum manus iactare, quaſi proiecturi, ſolent ita currentes.

Per. *Proin tu alium quaras, cui centones farcias.*

Farci-

Farcire centones, eſt mẽdaciũ aliud ex alio cõnectere, & auditorum aures ad laſsitudinẽ vſq; onerare. Ductũ adagiũ à veſtibus mendicorũ, quæ centones dicuntur, è varijs panniculis, varijſq; interdũ coloribus conſarcinatæ. Ad hos ego per iocũ allegare ſoleo bellos cõfabulones, qui obſeruent periodos, vt puncta apponant, atq; orationẽ diſtinguant, vnde intelligant defeſsi auditores, quando diſcedere liceat, abſoluta integræ ſententię explicatione.

Per. *Tuas poſſidebit mulier faxo ferias.*

Non hic ego moror aliorũ ſententias, neq; interpretationes. Sẽſus eſt: renumera quãtũ ego impẽdi: quãti mihi cõſtitit muliercula, tãtum redde: habebis, quæ tecũ in otio viuat: feriatas tibi aures præbeat: eodem fruatur otio tecum: tuas ſcilicet ferias agat otioſa pro arbitrio tuo.

ACT. 4. SCE. 2.

Mul. *Aliter catuli olent, aliter ſues.*

ADagium tritisſimum de rebus disſimilibus, quæ facilè posſint inter ſe diſcerni. Quemadmodũ canis facilè ſuos catulos diſcernit à porcellis. Neſcio an huc quadret illud Italorũ: *Che hà da fare la Luna co'i gambari?*

Per. *Perij, plauſtrum perculi.*

Dicam quod ſentio. Homo ſum: humani nihil alienũ à me puto. Erroribus obnoxij homines: obnoxius & ego. Facundi cuiuſpiã eruditiq;

hominis commentaria, multis laudata, laudo & ego: at non Delphici, vt priſci loquebantur, oracula eſſe puto. Optimè ille: at alius quiſpiam non malè. Qui ſcripſit adagiorum Chiliadas, adagium hoc, *Plauſtrum perculi*, hoc modo interpretatur, & vigilans ſomniat: Apparet dici ſolitum in eos, qui quempiam impellunt, quò ſuapte ſpõte iam propendebat. Tranſlatum à plauſtris onuſtis, quæ quò exonerentur, ſolent euerti. Fit autem id commodius in eam partem, in quam propter ſolum decliuius inclinant. Hactenus ille. Auerſo Mercurio iſta, bone vir. Audi contra. *Perij*, ait, *plauſtrum perculi*. Si Periphanes ſe ea cauſſa periiſſe dicit, quòd plauſtrum perculerit: certè nõ hoc agebat, vt percelleret: non eò tendebat cõſilia. Plauſtrum ſe perculiſſe, id eſt, euertiſſe, ait, cum audit fidicinam ab Epidico edoctam, ita loqui: poterat .n. obolere vxori techna. Senſus eſt: ego conſilia omnia perturbaui: rem totam aperui vxori, quam celatam & occultam oportuit. Vel etiam ea cauſſa, quòd ſuſpicabatur in eo ſe erraſſe, quòd coram vxore locutus ea fuiſſet prius, quàm conueniſſet Epidicũ. Hinc colligo ſenſum adagij eſſe eundem cum illo Italorum, *Io hò ſconciata la trama: hò ſparſo il latto: hò dato de piedi nel ſecchione, trauaccato i carro*. Et cum illo Germanorum: *Ich habs verdorben*: hoc eſt, ego rem corrupi ac perdidi. Du-

ctum

ctum à ruſticis, qui plauſtrum magno labore vel fœno, vel lignis, vel alia re qualibet onuſtũ ſubuertunt, cum fortè ad ſolum inæquale ventum eſt, Vſurpatur de conſilijs, de conatu, de inſidijs: quas ſi quis imprudens fortè loquendo detegat, is plauſtrum perculiſſe dicatur.

ACT. 5. SCEN. 1.

STR. *Pedibus pulmoneis*

Qui perhibetur, prius veniſſet, quam tu aduenisti mihi.

Inter adagia facilè poterit connumerari de eo, qui lento gradu animoq; timido incedit. Si quis enim pulmoneos habeat pedes, molles ſcilicet, is terrę, & pauimentorum duritiem non facilè ferat. Proinde ad feſtinationem inept

Epid. *Ille haud obijciet mihi Pedibus ſe ſe prouocatum.*

Prouerbiale quid ineſſe video, de illis, qui communi opera ſcelus admiſerunt animaduerſione dignum. Ibi ſceleris autorem accuſare poterit criminis ſocius, quod ab eo pedibus ſit prouocatus: hoc eſt, quod illius ſuaſu tale quid fecerit, cuius cauſſa fuga ſalutem quęrere cogatur, vt pœnam effugiat. Hoc enim ſentit Epid. cũ dicit, *certum eſt adeſſe domi*, ne putet Periphanes, me fugere, quod malum ac perniciosum dederim conſiliũ, quod vtriq; probro & damno ſit futurum: vt aut latitandam, aut fugiendum ſit.

SCEN. 2.

AP. *Nam ille quidem Vulcani irati eſt filius.*

ETſi catachreſin hic ineſſe video, adſcribere tamen volui, quòd omnia Plauti apud me gratioſa. Per Vulcani filiũ, igitur, intellige hominem improbum, nefarium ac pernicioſum, cuius conſuetudo nuſquam nõ ſit detrimento: quemadmodũ ignis omnia, quę tangit amburit. Itali planè id exprimunt. *(chia.*
Egli è come il carbone, che ſcotta, ouero tinge, mac-
Adagiũ, cuius eſt ſenſus, ſtruit in re doli quidpiam. Hnic ſynonymum eſt, *fabricam facit.* Allegoria à re militari.

BACCHIDES

ACT. I. SCE. I.

BACCH.

P*Ol ego quoq; metuo luſciniolę ne deſuat cantio.*

A Paręmiographo relatũ inter adagia, cuius ſit ſenſus, vt de loquacitate mulierum, de copia poetarũ, ac rhetorum intelligatur.

Vſus

Vſus erit, cum vel muliercula, vel alius quis natura garrulus, neget ſe habere quod dicat: vel Poeta ingenio fœcundo, vel Orator, cui in promptu ſit leporum atq; elegantiarum copia, detrectet operam dicendi: Audiat, *Luſciniæ deeſt cantio.* Allegoria ab auiculæ natura ducta.

Piſt. *Viſcus merus veſtra eſt blanditia.*

Etiam hoc ſpeciem præfert adagionis, de ingenioſo verborum concinnatore, quem logodædalum Græci vocant: qui appoſita ad perſuadendum oratione, animos audientiũ quocũq; collibitũ eſt, flectere poteſt. Sed concinnius de blandiloquẽtia, de laqueis, vt vocant, mellitis, quibus ad ſe rapiunt adoleſcẽtulos, meretrices. A viſco quo capiuntur aues.

Piſt. *Duæ vnum expetitis palumbem.*

Allegoria, quæ docet, duas meretrices eumdem ambire adoleſcentem. Quadrabit in riuales eamdem depereuntes.

Piſt. *Arundo alas verberat.*

Itidem hic allegoria ducta ab auibus viſco illitis & captis. Senſus eſt: captum me video oratione mellita: iam non licet amplius abire: irretitus ſũ, hæreo, quaſi auis virgula viſcata. Ital. *Io ſon preſo al laccio.* *Verberat alias arundo* dictum per hypallagẽ. Nõ enim alas arundo, ſed arundinem alæ verberant, cum excuſſo viſco auolare conatur auis.

Piſt. *Vbi ego capiam pro machæra turturem:*

Vbiq;

Vbiq; imponat in manum, alius mihi pro caſtu cantharum.

Pro galea ſcaphium, pro inſigni ſit corolla plectilis,
Pro haſta talus, pro lorica malacū capiam pallium.

Hæc pertinēt ad dedecus meretriciæ vitæ, illorumq; adoleſcentium: qui in palæſtra Cupidinis deſident otioſi, molles & effęminati. Plato in Timęo, ſic ſcribit, inter alia: Milites quoq; hic, vt noſti, ab alijs omnibus ſegregati, bellica dūtaxat tractare legibus iubentur. Terentius in And. Adoleſcentes ait animum ad ſtudium aliquod adiungere ſolere, aut equos alere, aut canes ad venandum, aut ad philoſophos. Virilia ſunt illa, non in fornice exercenda. Iſocrates in oratione, quam Areopagiticā inſcripſit. Ego, ſi liceat, curialē vel Senatoriā dixerim, de ſtudijs adoleſcentiū differit hoc modo: curabant igitur (Athenienſes) cū omnes ciues, tū verò adoleſcentes in primis. Videbant.n. eā ętatē turbulentis affectibus agitari, & plurimis redundare cupiditatibus; maximèq; neceſſariū eſſe, ita iſtā inſtitui, vt honeſtis ſtudijs & tēperatis voluptate laboribus gauderet. Et poſt paullò: Nam tenuiores ad agriculturā & negotiationes deducebant: nō ignari, & inopiæ cauſſam eſſe pigritiā, & ad facinus inopia pleroſq; cōpelli. Quare cauſſa malorū ſublata, etiā cetera delicta, quæ inde originē ducerēt, tolli poſſe exiſtimabant. Ditiores autē animū ad rē equeſtrē, ad gymnaſia,

ſia, ad venationes & philoſophiã adiungere cogebant. In illis gymnaſijs, hoc eſt, exercitationũ locis, tractabãtur haſtę, diſci, gladij, cæſtus, galeæ & alia honeſtiora inſtrumenta. Vbi verò animus Venereis corruptus affectibus in luſtris & meretriciã conſuetudine occupari cœpit, ibi longè diuerſa dantur, auiculæ, quales puerulis (puerũ fingunt Cupidinẽ propter ineptiã amatorũ) ſcaphia, vaſa potoria ad ebrietatẽ, corollæ plectiles, amaſijs congruẽtes, tali, chartæ luſoriæ, & his ſimiles. Hoc loco igitur Piſtoclerũ ridere puta meretricias illecebras, ſimulq; eos, qui ſibi placẽt & plaudunt, vbi viſcatũ aliquod munus acceperũt ab amicã. Enumerat ferè ordine, quibus exercitamentis traducant ętatem amatores.

Piſt. *Rapidus fluuius eſt hic: non hac temerè tranſiri poteſt.*

Allegoria pertinẽs ad auaritiã, & rapinã meretricũ: quòd verò nõ facilè tranſiri poſſe fluuiũ, inquit rapidũ, referas ad blãditias illarũ, quib⁹ irretiti adoleſcentes, inde diuelli non poſsunt, quemadmodum ſirenum vocibus allecti ſocij Vlyſsis.

Pi. *Nox, mulier, vinum: homini adoleſcentulo?* Occaſio facit furem. Olet prouerbium oratoria interrogatio annexam habens negotiationem: quæ eſt, nequaquam vtilia, & honeſta ſuadent.

SCENA 2.

Lyd. N*Am ita me dij ament, vt Lycurgus mihi quidem*
Videtur poſſe hic ad nequitiam adducier.
Dictum in homines nequã, quorũ animus flagitijs ſimul & facundia eſt inſtructus: vt ſimul & ipſi malè agere, & alios ad maleficia appoſito dicendi genere adducere queant. Senſus eſt: Ne Lycurgus quidẽ, quantumuis ab omnibus voluptate & prauis animi cupiditatibus abhorrẽs & alienus, temperare ſibi poſſet, quin horum eleganti & blanda oratione ſeductus & corruptus ad nequitiam raperetur.

Pi. *Fiam, vt ego opinor, Hercules, tu autem Linus.*
Prouerbij loco poterit adhiberi, quoties ingratum diſcipulũ ſignificare voluerimus. Hercules muſicã didiciſſe dicitur à Lino: is cũ Herculem obiurgaſſet, quòd vel nõ concinnè citharã pulſaſſet, vel imperitè tetigiſſet fides, ea ipſa cithara ab Hercule interemtus eſt: atq; hoc tulit præmium artis ſuæ. Vſus erit, quærat quis, quã mercedem putet ſperandã à diſcipulo? reſpondeat non aliam, *quam ab Hercule accepit Linus*, ingrato in magiſtrum diſcipulo.

Ly. *Tolmetuo magis, ne Phœnix tuis factis fuam.*
Etiã hoc prouerbiale, de eo, qui ingratũ adfert nuncium. Phœnix Achillis inſtitutor, quẽ nulla docendi ratione ab iracundia ad lenitatem &

clemen-

clemẽtiam deducere potuit, tamdem à Paride vidit interfectum, & mortis nuntium primus pertulit ad Peleũ ipſius patrem. Senſus eſt: Vereor, ne tu efficias tuis factis, vt de medio tollaris, atq; mihi contingat, de morte tua amicos & conſanguineos facere certiores.

ACT. 2. SCEN. 2.

PI. *Ni nactus Venerem eſſem, hanc Iunonẽ dicerem.* Hic planè prouerbiale quid ineſt: cõueniet aũt, cum formoſæ formoſiorem conferre ac pręferre volemus: hoc modo: dicerẽ & laudarẽ eam mulierem vt formoſisſimã, niſi formoſiorẽ haberẽ, vel vidiſſem. Referri poterit etiã ad alia, quęcũq; ſint illa, vbi de forma oritur contentio. Ductum de certamine pulchritudinis, inter Mineruam, Iunonem, & Venerem iudice Paride. Certamen illud bellisſimè deſcribit Coluthus Thebanus in carmine de raptu Helenæ. Vbi inducit Venerem de Iunone ita loquentem: Certamẽ propè eſt dilecti filij: adiuuate me matrẽ veſtram: hodie me dijudicabunt faciei ſplendores. Metuo autem cui pomũ daturus ſit bubulcus iſte. (Paridem intelligit) Iunonem Gratiarum venerandam nutricem eſſe aiunt.

SCEN. 3.

Chry. *AD ibo hunc, quem quidem ego hodie faciam hic arietem Phryxi.*

Alle-

Allegoria, cuius ſenſus eſt, ego ſenẽ hũc auro nudabo, quẽadmodũ arietẽ, qui Phryxũ incolumẽ vexit per mare Ægeum. Huic arieti aureũ erat vellus. Per hyperbolen *aries Phrixi* dici poterit is, qui in ſumma rerũ eſt copia, cui immenſi ſunt theſauri. Qui ſi fortè ſpolietur, dicatur *aries Phryxi tonſus ad cutem*.

ACT. 3. SCE. 3.

Ly. *Fieret corium tam maculoſum, quã eſt nutricis pallium.*

Imitatione Plautina *nutricis pallium* vſurpari poterit, pro re quapiam maculis infecta, & fœdata. Ab eo, quod nutricibus, dũ præmanſum in os ingerunt, dum præbent mãmam pueris, veſtes maculari ſolent.

ACT. 4. SCEN. 4

Chry. *Si frugi eſt, Herculem fecit ex patre.*

PRrouerbiale in eos, qui mala fide impendunt acceptam ab alio pecuniã, cuius reddenda aliquando ſit ratio. Exẽplo ſit, vel ſeruus vel filius à patre, vel ab hero miſſus opſonatũ redeat cũ opſonio, quod quadrante, vel etiã ſextãte cõſtiterit: aſſeueret emtũ aſſe. Hac ratione, quaſi decumanũ dicas eſſe pecuniã. ſ.è qua deci mas detraxerit ſeruus, vel filius opſonator. Sed age inuertatur hic dolus, et ratio fraudis. Dicito *à ſeruo, vel à filio, herũ vel patrẽ factũ eſſe Herculem:*

cui

cui decima pars reddita, in commodũ ceſſerit, reliquũ ſeuocatũ & peculio adſcriptũ. Ita prouerbij naturã induet, cui ſimile quid Inſubres fabulantur, de molitoribus, qui modo trientẽ, modo dimidium eius reddunt, ꝙ molendum acceperũt. Dicere ſolẽt: *Egli hà fatto da fratello:* quaſi dicant, diuiduũ fecit, diuiſit quemadmodũ fratres relicta à parẽtibus prędia, vel aliam hæreditatem in partes æquales inter ſe diuidere ſolent. Latinè *Herculem me fecit*: id eſt, decimã partẽ reddidit. Ab eo, quòd olim Romani decimas Herculi vouere & reddere ſolebant.

Chry. *Num qui nummi exciderunt tibi?*

Familiariſſimum Italis, vt ſi quem mœſto vultu terram intueri videant, iocosè percontantur, num quid perdiderit?

Hai tu perduto coſa alcuna, che coſi fiſſo guardi in terra?

Chry. *De ducentis nummis primùm intendam balliſtam in ſenem.*

Ea balliſta ſi peruortam turrim, & propugnacula,
Recta porta inuadam extemplò in oppidũ antiquum & vetus.

Allegoria ducta à re militari. Per balliſtam, intellige aſtutiam, fallaciam, conatũ: per turrim, & propugnacula ſenem, ſeniſque vigilantiã, & perſpicaciam. Vſus erit, ſi quis nobis, vel rebus noſtris facit inſidias, dicatur in nos *intendere balliſtam*. Cum verò ſignificare volemus, cautione

tione & excubijs opus eſſe, ne circumuenti inſidijs, damnum faciamus, *turrim muniendam, conſtituenda propugnacula* dicemus: quaſi hoſtis metatus ſit caſtra, nos oppugnaturus.

SCEN. 6.

Chry. *Scio me eſſe ſeruum: neſcio etiã id quod ſcio. Nũc ab tranſenna hic turd' lũbricũ petit.* Geminũ hic prouerbiũ: alterũ de ſeruorũ taciturnitate: alterũ de illis, qui cũ alijs inſidias tendunt, & damnũ moliũtur, ipſi laqueis capiũtur.

De priore, Terentius: *Si ſapis, quod ſcis, neſcis:* hoc eſt, perinde habeas in pectore arcana, quaſi numquã audieris aut intellexeris: In poſteriore allegoria eſt ab auium tendiculis. Nicobulus hoc agebat, vt latera Chryſali probè lacerarentur, vt ipſe minitatur. Sed Chryſalus è diuerſo techna quadam circumuenire ſenẽ conabatur. Idcirco ait, *turdus lumbricum petit ab tranſenna,* ſemetipſum lumbricum, ſenem turdum vocãs: per tranſennam, funiculum extentum ad turdos capiendos, intellige fallaciam, quam commentus erat Chryſalus.

SCEN. 7.

Chry. *Bellerophontem iam tuus me fecit filius.* Senſus eſt, litteras mihi ferendas dedit,

dit, quæ mihi ipſi futuræ ſint exitio. Notum eſt adagium: Belleroph. contra ſe litteras. Nota item hiſtoria de Bellerophonte, qui acceptas à Prœto litteras ad Iobatam, ſiue vt alij, ad Ariobatum tulit, quib. ipſe neci deſtinabatur.

Chr. *O ſtulte, ſtulte, neſcis nunc venire te.*
Atq; in eo adſtas lapide, vbi præco prædicat.
Allegoria à rebus, quę in auctione venduntur. Senſus eſt: Neſcis te iam falli ac circumduci: illorum cauſſam tueris, qui te quaſi venalem proſtituerunt. Accommodabitur illis, qui quaſi pro aris & focis pugnantes, eos defendunt ac tuentur, à quibus ipſorum bona, fama, adeoq; caput ipſum petitur inſidijs.

Chry. *Adoleſcens moritur, dum valet, ſentit, ſapit.* Senſus eſt, qualis ille Terentian. *prudens, viuus, videnſq; perit.* De illis qui præſens malum ſuum non cernũt, ſed pręcipites in illud, quaſi opera conſulta ſe dare videntur.

SCEN. 8.

Chry. *Si tibi eſt machęra, & nobis veruina eſt domi*
Adagium conueniens illis, qui minas referun minitanti malũ. Veruinã teli genus eſſe aiunt Senſus Italis erit. *Se tu hai l'armi, noi habbiamo* *ſcudo.* Vel potiùs *Le arme noſtre pungeranno tant quanto le tue.*

SCEN. 9.

Ch. *Fit vaſta Troia : ſcindunt proceres Pergamum.*

Allegoria feſtiua, cuius vſus eſſe poterit cum oſtendere volemus, inſidias & qui in inſidijs latuerant, voto potitos eſſe: fallaciã ex ſententia ſuccesſiſſe. Ab equo Troiano, cui incluſi erãt milites ſelectisſimi, qui opera Sinonis, recluſis & laxatis compagibus, arcem Troianam inuaſerunt, & Troiam incendio perdiderunt.

ACT. 5 SCEN. 2.

Bac. *QVæ neq; lac, neq; lanam habent.*

Per allegoriam dicetur de hominibus nihili, qui nulli ſint vſui, ſiue propter ætatem, ſiue ignorantiam, ſiue alia vitia, quibus impediantur actiones. Ab ouibus ſenio confectis & probè tonſis.

Phil. *Tactus ſum vehementer viſco.*

Senex ſtimulos Cupidinis, Veneriſq; ſẽtiens pruritum, ſe viſco tactum, hoc eſt, illecebris meretricum eſſe captum ait. Quadrabit in eũ, qui allectus eſt ad amorem.

MOSTELLARIA.

ACT. 1. SCEN. 3.

P H I L.

EQuidem vel falsò tamen laudari multo malo. Quàm verò culpari.

Huc

Huc pertinet illud Ital. *Non mottegiar il vero*. Et illud Terent. *Veritas odiũ parit.* Quotus quiſq; eſt, qui nõ gaudeat aſſentationibus, quibus ſibi affingi audit, quæ neq; habet, nec vmquam habiturus eſt. Contrà, quis tã miti ingenio, quin ægrè ferat, ſua ſibi vitia referri, ſiue illa corporis ſint, ſiue animi.

Phil. *In anginam ego nunc me velim verti, vt veneficæ illi*

Fauces prehendam.

Vſurpari poteſt in eũ, qui peccata noſtra profert, quæ occulta maximè volumus. Vel in eum, qui detegit effutiendo, quas ſtruimus inſidias. *Velim in anginam verti, vt fauces illius occuparem, ne loquacitate ſua meam mihi impediat technam, meaq; perturbet conſilia.* Angina, Græcis ſynanche, quis ſit morbus, & vnde, ad medicorum te ſcholam remitto.

Sca. *Vna opera ebur atramento candefacere poſtules.*

Prouerbij ſpecies, de eo, qui præpoſterè aliquid ornat. Vt, ſi quis manus diligenter lotas extergere mantili velit ſordido: vel qui moribus cõpoſitis hominẽ turpia doceat, quaſi magis profutura. Inept⁹ enim ſit, ſi quis ebur ſuapte natura candidiſſimum, atramento reddere candidius velit.

Sca. *Quia ſtactor mulier rectè olet, vbi nihil olet.*

Dictum è morali philoſophia depromtum: Sẽ-ſus eſt, illa mulier, quæ forma naturali conten-ta nullá adhibet pigmenta, nullo fuco placere ſtudet, benè olet: id eſt, probitatem præ ſe fert, ac pudicitiã. Paullò poſt in eadem ſcena addit.

Poſtea nequicquam exornata eſt benè, ſi morata eſt malè.

Pulchrũ ornatũ, turpes mores pei' cœno collinũt

Cedro dignisſimi verſus: vtinam noſtris place-re & in animum immigrare queant.

ACT. 3. SCE. 1.

Dan. *PErfacilè ego ictus perpetior argenteos.* Pulchrè conueniet vel in auarum, qui lucri cauſſa, vel etiam ſi ſit opus, auitam proſti-tuat honeſtatem. Vel in ſycophantam qui, vt obolum accipiat, plagas pati non recuſat.

Tra. *Calidum hercle audiui eſſe optimũ mendacium.* Senſus eſt: mendacium ſubitò inuentum, pro re nata excogitatum, ſed non meditatum, ſed quod ex tempore venit in mentem, id optimũ & maximè conducibile ſolet eſſe. *Calidum* Græcis, & Latinis ſubitum dici notum eſt.

Tr. *Iterùm iam ad idem ſaxum me fluctus ferunt.* Allegoria, ab incommoda nauigatione, cuius hic eſt ſenſus: Denuo in idem periculum me cõijcit huius loquacitas. Accõmodari poterit,

vbi quis retrotrahitur in periculũ vel capitis, vel fortunarũ,quo ſibi iã perfunctus videbatur.

SCEN. 2.

Tran. *Sed Simo, ita nũc vẽtus nauẽ noſtrã ſubitò Deſeruit.*

Allegoria, quę oſtendit vultum mutaſſe fortunam: quæ antea proſpera fuerat, iam aduerſam eſſe. Vſitatisſimum eſt, vt is, cui ſecundum vota procedit, quidquid agit, plenis velis, vel ſecundo vento nauigare dicatur.

Si. *Nunc tibi chorda tenditur:*

Figura prouerbiali conueniet in eũ,qui ad ictũ deſignatus eſt,cui inſidię ſtruuntur.Metaphora à ſagittarijs,vt quidã putãt: vel à venatoribus, qui feris:vel aucupibus,qui auibus retia tẽdũt.

Tra. *Simul flare, ſorbereq; haud facile eſt*

Adagium de rebus, quarum ea eſt natura,vt ab eodem ſimul fieri nequeant.Quemadmodũ, qui flat, ſpiritũ ex ore emittit:idẽ eodẽ momẽto eũdẽ attrahere,quod ſorbendo fit,nõ poteſt.

Th. *Sibi quiſq; ruri metit.*

Prouerbium ruri natum, ruſticos habens autores.Significat autem ſuas quemq; res curare, ſibi conſulere, ſua quærere commoda.

ACT. 5. SCE. 1.

Tr. *VBi ego video rem verti in meo foro.*

Senſus eſt, vbi vidi me iam rem agi, de me iudicium futurum, neq; fas eſſe me tergiuerſari. Tranſlatum ab eo, quod iuriſcõſulti aiunt, *litem in ſuo foro verti, verſari*. Item in alieno foro litigare. Habent illi canones ſuos: *Actor debet ſequi forum rei*: ſecus ſi fiat, exceptione reus actorem eludere poteſt. Prouerbio itaq; dici poterit res in meo foro verſatur: cum video non me recuſare poſſe, quin pręſto ſim, & quaſi legitimè citatus iudicio me ſiſtam.

MENAECHMI.

ACT. 1. SCEN. 1.

PEN.

QVem tu aſſeruare rectè, ne aufugiat, voles, Eſca atq; potione vinciri decet. Apud menſam plenam homini roſtrum deliges.

Paraſiti ſententia, paraſitorum centurijs conueniens. Hoc autem genus homines non modo alliciendos, ſed etiam vt hoſtibus deteriores, fugiendos monebat Pythagoras. Crates Thebanus videns adoleſcentē paraſitorũ turba ſtipatũ, miſeret, inquit, me tuę ſolitudinis adoleſcẽs.

Sed iam vſum mõſtremus. Eſto quis gulæ mancipium, quem fruſtulo carnis quoquo terrarũ abducere poſſis, dicas *apud menſam illi deligandum eſſe roſtrum:* per abuſionem poſitum vides roſtrum, pro ore.

Pen. *Nimis lenta vincla ſunt eſcaria.*
Ex ingenio, vel palato potius loquitur paraſitorum, quorum animus numquam non eſt in patinis. Senſus eſt: Nimis tenacia & ad ligandos homines idonea vincula eſcaria: facilè detinentur homines deliciarum promiſſione: paraſitus edax ſuo ingenio fingit omnes.

SCEN. 3.

Erot. *Extra numerum es mihi.*

Non diſplicet, quod Lab. nẽpe, extra ordinẽ es mihi, nõ es in numero eorũ, qui mihi cari ſunt. Sed tamẽ ambiguũ ineſſe ſenſũ non abre ſuſpicor. Quod colligo ex ſequẽtibus Peniculi verbis. *Idem iſtuc adſcriptiuis ad legionẽ fieri ſolet.* Senſus ſit, extra numerũ, hoc eſt, ſupranumerarius vt aiunt, amo te nõ minus atq; hunc, dicet, non eodem modo.

Me. *Meo quidẽ animo, ab Hippolyta ſuccingulum. Hercules haud ęquè magno vmquã abſtulit periculo.*
Summo periculo vxori ſe pallium ſurripuiſſe Menęchmus oſtendere volens, ait, minus periculi ſubijſſe Herculem, cũ Amazonum reginę

Vbiq; imponat in manum, alius mihi pro caſtu cantharum.

Pro galea ſcaphium, pro inſigni ſit corolla plectilis,
Pro haſta talus, pro lorica malacũ capiam pallium.

Hæc pertinẽt ad dedecus meretriciæ vitæ, illorumq; adoleſcentium: qui in palæſtra Cupidinis deſident otioſi, molles & effęminati. Plato in Timęo, ſic ſcribit, inter alia: Milites quoq; hic, vt noſti, ab alijs omnibus ſegregati, bellica dũtaxat tractare legibus iubentur. Terentius in And. Adoleſcentes ait animum ad ſtudium aliquod adiungere ſolere, aut equos alere, aut canes ad venandum, aut ad philoſophos. Virilia ſunt illa, non in fornice exercenda. Iſocrates in oratione, quam Areopagiticã inſcripſit. Ego, ſi liceat, curialẽ vel Senatoriã dixerim, de ſtudijs adoleſcentiũ diſſerit hoc modo: curabant igitur (Athenienſes) cũ omnes ciues, tũ verò adoleſcentes in primis. Videbant.n.eã ętatẽ turbulentis affectibus agitari, & plurimis redundare cupiditatibus: maximèq; neceſſariũ eſſe, ita illã inſtitui, vt honeſtis ſtudijs & tẽperatis voluptate laboribus gauderet. Et poſt paullò: Nam tenuiores ad agriculturã & negotiationes deducebant: nõ ignari, & inopiæ cauſſam eſſe pigritiã, & ad facinus inopia pleroſq; cõpelli. Quare cauſſa malorũ ſublata, etiã cetera delicta, quæ inde originẽ ducerẽt, tolli poſſe exiſtimabant. Ditiores autẽ animũ ad rẽ equeſtrẽ, ad gymna-

ſia,

ſia,ad venationes & philoſophiā adiungere cogebant. In illis gymnaſijs, hoc eſt, exercitationū locis,tractabātur haſtę, diſci, gladij, cæſtus, galeæ & alia honeſtiora inſtrumenta. Vbi verò animus Venereis corruptus affectibus in luſtris & meretriciā conſuetudine occupari cœpit, ibi longè diuerſa dantur, auiculæ, quales puerulis (puerū fingunt Cupidinē propter ineptiā amatorū) ſcaphia, vaſa potoria ad ebrietatē, corollæ plectiles, ainaſijs congruētes, tali, chartæ luſoriæ, & his ſimiles. Hoc loco igitur Piſtoclerū ridere puta meretricias illecebras, ſimulq; eos, qui ſibi placēt & plaudunt, vbi viſcatū aliquod munus acceperūt ab amicā. Enumerat ferè ordine, quibus exercitamentis traducant ętatem amatores.

Piſt. *Rapidus fluuius eſt hic: non hac temerè tranſiri poteſt.*

Allegoria pertinēs ad auaritiā, & rapinā meretricū: quòd verò nō facilè tranſiri poſſe fluuiū, inquit rapidū, referas ad blāditias illarū, quib9 irretiti adoleſcentes, inde diuelli non poſsunt, quemadmodum ſirenum vocibus allecti ſocij Vlyſsis.

Pi. *Nox, mulier, vinum: homini adoleſcentulo ?*

Occaſio facit furem. Olet prouerbium oratoria interrogatio annexam habens negotiationem: quæ eſt, nequaquam vtilia, & honeſta ſuadent.

SCENA 2.

Lyd. N*Am ita me dij ament, vt Lycurgus mihi quidem*
Videtur poſſe hic ad nequitiam adducier.
Dictum in homines nequā, quorū animus flagitijs ſimul & facundia eſt inſtructus: vt ſimul & ipſi malè agere, & alios ad maleficia appoſito dicendi genere adducere queant. Senſus eſt; Ne Lycurgus quidē, quantumuis ab omnibus voluptate & prauis animi cupiditatibus abhorrēs & alienus, temperare ſibi poſſet, quin horum eleganti & blanda oratione ſeductus & corruptus ad nequitiam raperetur.

Pi. *Fiam, vt ego opinor, Hercules, tu autem Linus.*
Prouerbij loco poterit adhiberi, quoties ingratum diſcipulū ſignificare voluerimus. Hercules muſicā didiciſſe dicitur à Lino: is cū Herculem obiurgaſſet, quòd vel nō concinnè citharā pulſaſſet, vel imperitè tetigiſſet fides, ea ipſa cithara ab Hercule interemtus eſt: atq; hoc tulit præmium artis ſuæ. Vſus erit, quærat quis, quā mercedem putet ſperandā à diſcipulo? reſpondeat non aliam, *quam ab Hercule accepit Linus*, ingrato in magiſtrum diſcipulo.

Ly. *Tolmetuo magis, ne Phœnix tuis factis fuam.*
Etiā hoc prouerbiale, de eo, qui ingratū adfert nuncium. Phœnix Achillis inſtitutor, quē nulla docendi ratione ab iracundia ad lenitatem &

clemen-

clemētiam deducere potuit, tamdem à Paride vidit interfectum, & mortis nuntium primus pertulit ad Peleū ipſius patrem. Senſus eſt: Vereor, ne tu efficias tuis factis, vt de medio tollaris, atq; mihi contingat, de morte tua amicos & conſanguineos facere certiores.

ACT. 2. SCEN. 2.

PI. *Ni nactus Venerem eſſem, hanc Iunonē dicerem.* Hic planè prouerbiale quid ineſt: cōueniet aūt, cum formoſæ formoſiorem conferre ac pręferre volemus: hoc modo: dicerē & laudarē eam mulierem vt formoſisſimā, niſi formoſiorē haberē, vel vidiſſem. Referri poterit etiā ad alia, quęcūq; ſint illa, vbi de forma oritur contentio. Ductum de certamine pulchritudinis, inter Mineruam, Iunonem, & Venerem iudice Paride. Certamen illud bellisſimè deſcribit Coluthus Thebanus in carmine de raptu Helenæ. Vbi inducit Venerem de Iunone ita loquentem: Certamē propè eſt dilecti filij: adiuuate me matrē veſtram: hodie me dijudicabunt faciei ſplendores. Metuo autem cui pomū daturus ſit bubulcus iſte. (Paridem intelligit) Iunonem Gratiarum venerandam nutricem eſſe aiunt.

SCEN. 3.

Chry. A*D ibo hunc, quem quidem ego hodie faciam hic arietem Phryxi.*

Alle-

Allegoria, cuius ſenſus eſt, ego ſenē hūc auro nudabo, queādmodū arietē, qui Phryxū incolumē vexit per mare Ægeum. Huic arieti aureū erat vellus. Per hyperbolen *aries Phrixi* dici poterit is, qui in ſumma rerū eſt copia, cui immenſi ſunt theſauri. Qui ſi fortè ſpolietur, dicatur *aries Phryxi tonſus ad cutem*.

ACT. 3. SCE. 3.

Ly. F*ieret corium tam maculoſum, quã eſt nutricis pallium*.

Imitatione Plautina *nutricis pallium* vſurpari poterit, pro re quapiam maculis infecta, & fœdata. Ab eo, quod nutricibus, dū præmanſum in os ingerunt, dum præbent mãmam pueris, veſtes maculari ſolent.

ACT. 4. SCEN. 4

Chry. *Si frugi eſt, Herculem fecit ex patre*.

PRrouerbiale in eos, qui mala fide impendunt acceptam ab alio pecuniã, cuius reddenda aliquando ſit ratio. Exēplo ſit, vel ſeruus vel filius à patre, vel ab hero miſſus opſonatū redeat cū opſonio, quod quadrante, vel etiã ſextāte cōſtiterit: aſſeueret emtū aſſe. Hac ratione, quaſi decumanū dicas eſſe pecuniã. ſ. è qua decimas detraxerit ſeruus, vel filius opſonator. Sed age inuertatur hic dolus, et ratio fraudis. Dicito *à ſeruo, vel à filio, herū vel patrē factū eſſe Herculem*: cui

cui decima pars reddita, in commodũ ceſſerit, reliquũ ſeuocatũ & peculio adſcriptũ. Ita prouerbij naturã induet, cui ſimile quid Inſubres fabulantur, de molitoribus, qui modo trientẽ, modo dimidium eius reddunt, ꝙ molendum acceperũt. Dicere ſolẽt: *Egli hà fatto da fratello:* quaſi dicant, diuiduũ fecit, diuiſit quemadmodũ fratres relicta à parẽtibus prędia, vel aliam hæreditatem in partes æquales inter ſe diuidere ſolent. Latinè *Herculem me fecit:* id eſt, decimã partẽ reddidit. Ab eo, quòd olim Romani decimas Herculi vouere & reddere ſolebant.

Chry. *Num qui nummi exciderunt tibi?*

Familiariſſimum Italis, vt ſi quem mœſto vultu terram intueri videant, iocosè percontantur, num quid perdiderit?

Hai tu perduto coſa alcuna, che coſi fiſſo guardi in terra?

Chry. *De ducentis nummis primùm intendam balliſtam in ſenem.*

Ea balliſta ſi peruortam turrim, & propugnacula, Recta porta inuadam extemplò in oppidũ antiquum & vetus.

Allegoria ducta à re militari. Per balliſtam, intellige aſtutiam, fallaciam, conatũ: per turrim, & propugnacula ſenem, ſeniſque vigilantiã, & perſpicaciam. Vſus erit, ſi quis nobis, vel rebus noſtris facit inſidias, dicatur in nos *intendere balliſtam*. Cum verò ſignificare volemus, cautione

tione

tione & excubijs opus eſſe,ne circumuenti inſidijs, damnum faciamus, *turrim muniendam, conſtituenda propugnacula* dicemus:quaſi hoſtis metatus ſit caſtra, nos oppugnaturus.

SCEN. 6.

Chry. *Scio me eſſe ſeruum:neſcio etiã id quod ſcio. Nũc ab tranſenna hic turd⁹ lũbricũ petit.* Geminũ hic prouerbiũ: alterũ de ſeruorũ taciturnitate:alterũ de illis,qui cũ alijs inſidias tendunt,& damnũ moliũtur,ipſi laqueis capiũtur.

De priore,Terentius: *Si ſapis,quod ſcis,neſcis:* hoc eſt,perinde habeas in pectore arcana,quaſi numquã audieris aut intellexeris:In poſteriore allegoria eſt ab auium tendiculis. Nicobulus hoc agebat,vt latera Chryſali probè lacerarentur, vt ipſe minitatur. Sed Chryſalus è diuerſo techna quadam circumuenire ſenẽ conabatur. Idcirco ait, *turdus lumbricum petit ab tranſenna*, ſemetipſum lumbricum,ſenem turdum vocãs: per tranſennam, funiculum extentum ad turdos capiendos,intellige fallaciam, quam commentus erat Chryſalus.

SCEN. 7.

Chry. *Bellerophontem iam tuus me fecit filius.* Senſus eſt,litteras mihi ferendas dedit,

dit, quæ mihi ipſi futuræ ſint exitio. Notum eſt adagium: Belleroph. contra ſe litteras. Nota item hiſtoria de Bellerophonte, qui acceptas à Prœto litteras ad Iobatam, ſiue vt alij, ad Ariobatum tulit, quib. ipſe neci deſtinabatur.
Chr. *O ſtulte, ſtulte, neſcis nunc venire te.*
Atq; in eo adſtas lapide, vbi præco prædicat.
Allegoria à rebus, quę in auctione venduntur. Senſus eſt: Neſcis te iam falli ac circumduci: illorum cauſſam tueris, qui te quaſi venalem proſtituerunt. Accommodabitur illis, qui quaſi pro aris & focis pugnantes, eos defendunt ac tuentur, à quibus ipſorum bona, fama, adeoq; caput ipſum petitur inſidijs.
Chry. *Adoleſcens moritur, dum valet, ſentit, ſapit.* Senſus eſt, qualis ille Terentian. *prudens, viuus, videnſq; perit.* De illis qui præſens malum ſuum non cernũt, ſed pręcipites in illud, quaſi opera conſulta ſe dare videntur.

SCEN. 8.

Chry. *Si tibi eſt machęra, & nobis veruina eſt domi* Adagium conueniens illis, qui minas referun minitanti malũ. Veruinã teli genus eſſe aiunt Senſus Italis erit. *Se tu hai l'armi, noi habbiamo scudo.* Vel potiùs *Le arme noſtre pungeranno tant quanto le tue.*

SCEN. 9.

Ch. *Fit vaſta Troia : ſcindunt proceres Pergamum.*
Allegoria feſtiua, cuius vſus eſſe poterit cum oſtendere volemus, inſidias & qui in inſidijs latuerant, voto potitos eſſe: fallaciã ex ſententia ſuccesſiſſe. Ab equo Troiano, cui incluſi erãt milites ſelectiſsimi, qui opera Sinonis, recluſis & laxatis compagibus, arcem Troianam inuaſerunt, & Troiam incendio perdiderunt.

ACT. 5 SCEN. 2.

Bac. Q*Væ neq; lac, neq; lanam habent.*
Per allegoriam dicetur de hominibus nihili, qui nulli ſint vſui, ſiue propter ætatem, ſiue ignorantiam, ſiue alia vitia, quibus impediantur actiones. Ab ouibus ſenio confectis & probè tonſis.

Phil. *Tactus ſum vehementer viſco.*
Senex ſtimulos Cupidinis, Veneriſq; ſẽtiens pruritum, ſe viſco tactum, hoc eſt, illecebris meretricum eſſe captum ait. Quadrabit in eũ, qui allectus eſt ad amorem.

MOSTELLARIA.

ACT. 1. SCEN. 3.

P H I L.

E*Quidem vel falsò tamen laudari multo malo.*
Quàm verò culpari.

Huc

Huc pertinet illud Ital. *Non mottegiar il vero*. Et illud Terent. *Veritas odiũ parit*. Quotus quiſq; eſt, qui nõ gaudeat aſſentationibus, quibus ſibi affingi audit, quæ neq; habet, nec vmquam habiturus eſt. Contrà, quis tã miti ingenio, quin ægrè ferat, ſua ſibi vitia referri, ſiue illa corporis ſint, ſiue animi.

Phil. *In anginam ego nunc me velim verti, vt veneficæ illi*
Fauces prehendam.

Vſurpari poteſt in eũ, qui peccata noſtra profert, quæ occulta maximè volumus. Vel in eum, qui detegit effutiendo, quas ſtruimus inſidias. *Velim in anginam verti, vt fauces illius occuparem, ne loquacitate ſua meam mihi impediat technam, meaq; perturbet conſilia*. Angina, Græcis ſynanche, quis ſit morbus, & vnde, ad medicorum te ſcholam remitto.

Sca. *Vna opera ebur atramento candefacere poſtules*.

Prouerbij ſpecies, de eo, qui præpoſterè aliquid ornat. Vt, ſi quis manus diligenter lotas extergere mantili velit ſordido: vel qui moribus cõpoſitis hominẽ turpia doceat, quaſi magis profutura. Inept⁹ enim ſit, ſi quis ebur ſuapte natura candidisſimum, atramento reddere candidius velit.

Sca. *Quia ecaſtor mulier rectè olet, vbi nihil olet*.

Dictum è morali philoſophia depromtum: Sẽſus eſt, illa mulier, quæ forma naturali contenta nullá adhibet pigmenta, nullo fuco placere ſtudet, benè olet: id eſt, probitatem præ ſe fert, ac pudicitiã. Paullò poſt in eadem ſcena addit.

Poſtea nequicquam exornata eſt benè, ſi morata eſt malè.

Pulchrũ ornatũ, turpes mores pei' cœno collinũt Cedro dignisſimi verſus: vtinam noſtris placere & in animum immigrare queant.

ACT. 3. SCE. 1.

Dan. *PErfacilè ego ictus perpetior argenteos.* Pulchrè conueniet vel in auarum, qui lucri cauſſa, vel etiam ſi ſit opus, auitam proſtituat honeſtatem. Vel in ſycophantam qui, vt obolum accipiat, plagas pati non recuſat.

Tra. *Calidum hercle audiui eſſe optimũ mendacium.* Senſus eſt: mendacium ſubitò inuentum, pro re nata excogitatum, ſed non meditatum, ſed quod ex tempore venit in mentem, id optimũ & maximè conducibile ſolet eſſe. *Calidum* Græcis, & Latinis ſubitum dici notum eſt.

Tr. *Iterum iam ad idem ſaxum me fluctus ferunt.* Allegoria, ab incommoda nauigatione, cuius hic eſt ſenſus: Denuo in idem periculum me cõijcit huius loquacitas. Accõmodari poterit,

vbi quis retrotrahitur in periculũ vel capitis, vel fortunarũ, quo ſibi iã perfunctus videbatur.

SCEN. 2.

Tran. *SEd Simo, ita nũc vĕtus nauĕ noſtrã ſubitò Deſeruit.*

Allegoria, quę oſtendit vultum mutaſſe fortunam: quæ antea proſpera fuerat, iam aduerſam eſſe. Vſitatisſimum eſt, vt is, cui ſecundum vota procedit, quidquid agit, plenis velis, vel ſecundo vento nauigare dicatur.

Si. *Nunc tibi chorda tenditur:*

Figura prouerbiali conueniet in eũ, qui ad ictũ deſignatus eſt, cui inſidię ſtruuntur. Metaphora à ſagittarijs, vt quidã putãt: vel à venatoribus, qui feris: vel aucupibus, qui auibus retia tẽdũt.

Tra. *Simul flare, ſorbereq; haud facile eſt*

Adagium de rebus, quarum ea eſt natura, vt ab eodem ſimul fieri nequeant. Quemadmodũ, qui flat, ſpiritũ ex ore emittit: idẽ eodẽ momẽto eũdẽ attrahere, quod ſorbendo fit, nõ poteſt.

Th. *Sibi quiſq; ruri metit.*

Prouerbium ruri natum, ruſticos habens autores. Significat autem ſuas quemq; res curare, ſibi conſulere, ſua quærere commoda.

ACT. 5. SCE. 1.

Tr. *Vbi ego video rem verti in meo foro.* Senſus eſt, vbi vidi meam rem agi, de me iudicium futurum, neq; fas eſſe me tergiuerſari. Tranſlatum ab eo, quod iuriſcóſulti aiunt, *litem in ſuo foro verti, verſari.* Item in alieno foro litigare. Habeat illi canones ſuos: *Actor debet ſequi forum rei*: ſecus ſi fiat, exceptione reus actorem eludere poteſt. Prouerbio itaq; dici poterit res in meo foro verſatur: cum video non me recuſare poſſe, quin pręſto ſim, & quaſi legitimè citatus iudicio me ſiſtam.

MENAECHMI.

ACT. 1. SCEN. 1.

PEN.

Qvem tu aſſeruare rectè, ne aufugiat, voles, Eſca atq; potione vinciri decet. Apud menſam plenam homini roſtrum deliges.

Paraſiti ſententia, paraſitorum centurijs conueniens. Hoc autem genus homines non modo alliciendos, ſed etiam vt hoſtibus deteriores, fugiendos monebat Pythagoras. Crates Thebanus videns adoleſcenté paraſitorũ turba ſtipatũ, miſeret, inquit, me tuę ſolitudinis adoleſcés.

Sed

Sed iam vſum mõſtremus. Eſto quis gulæ man-cipium, quem fruſtulo carnis quoquo terrarũ abducere poſſis, dicas *apud menſam illi deligandum eſſe roſtrum*: per abuſionem poſitum vides roſtrum, pro ore.

Pen. *Nimis lenta vincla ſunt eſcaria.*
Ex ingenio, vel palato potius loquitur paraſitorum, quorum animus numquam non eſt in patinis. Senſus eſt: Nimis tenacia & adligandos homines idonea vincula eſcaria: facilè detinentur homines deliciarum promiſſione: paraſitus edax ſuo ingenio fingit omnes.

SCEN. 3.

Erot. *Extra numerum es mihi.*

Non diſplicet, quod Lab. nẽpe, extra ordinẽ es mihi, nõ es in numero eorũ, qui mihi cari ſunt. Sed tamẽ ambiguũ ineſſe ſenſũ non abre ſuſpicor. Quod colligo ex ſequẽtibus Peniculi verbis. *Idem iſtuc adſcriptiuis ad legionẽ fieri ſolet.* Senſus ſit, extra numerũ, hoc eſt, ſupranumerarius vt aiunt, amo te nõ minus atq; hunc, dicet, non eodem modo.

Me. *Meo quidẽ animo, ab Hippolyta ſuccingulum. Hercules haud ęquè magno vmquã abſtulit periculo.* Summo periculo vxori ſe pallium ſurripuiſſe Menęchmus oſtendere volens, ait, minus periculi ſubijſſe Herculem, cũ Amazonum reginę

Hippolytæ cingulũ abſtuliſſet. Hiſtoriã mitto: vſum mõſtro. Velit quis oſtendere facinus eſſe periculoſum, dicat, *facilius Herculi fuiſſe, balteũ abſtuliſſe Hippolytæ*, quã illi facinus animo conceptum perficere.

Men. *Madida, quę mihi appoſita in menſa, miluinam ſuggerant.*

Vſus erit de miluina, qui de illis, quæ languens dicuntur excitare palatum. *Ital. far venire vna fame da lupo, incitare l'appetito*, Sit appoſitum quid acidum, artificiosè cõditum, quo alliciamur ad edendum: dicamus, hoc pulmenũ, vel hoc embãma *ſuggeſſit mihi miluinã*: ſubaudi famẽ. Tractum à voracitate Milui, ſiue Miluij, auis rapaciſsimæ, & (vt Plinius ſcribit) ſemper famelicæ. Quadrabit etiam in edacem, qui nunquam ſatur eſt, vt dicatur, *miluina ſtimulari, vel miluinæ obnoxius*.

ACT. 2. SCEN. 1.

Meſſ. *Quin nos hinc domum Redimus? niſi ſi hiſtoriam ſcripturi ſumus.*

Elegans dictũ in eos, qui nimis curiosè omnia perſcrutãtur, neq; minima prætereũt, quin velint cognoſcere, vel cauſſas, vel finem, vel vſũ etiam illarum rerũ, quæ cognouiſſe, vel parui, vel planè nihil refert. Exemplo ſit: Homo trãſalpinus parum cordatus Papiã veniat, videat

ſimu-

ſimulacrum Antonini Pij, vt aiunt: quærat vnde, & à quo in iſtum locum, & quampridē trāslatum: cur non alibi potius, quam ibi collocatum. Huic reſponderi commodè per interrogationem poterit, *num ſcripturus ſit hiſtoriam?*

Meſſ. *Propterea huic vrbi nomen Epidamno inditum eſt.*

Alludit ad rationē nominis, ſed ſuo more Plautus, neglectis Grammatic. legibus, quæ vetant è Græco & Latino formari vocem. Accommodabitur vſui, ſi volemus ſignificare conſuetudinem hominis, vel loci alicuius eſſe perniciosā, dicemus vocari *Epidamnum*. Ego huiuſmodi dictiones meo quodam iure, & peculiari fabulandi licentia, ex mulorum genere eſſe dicere ſoleo. Quòd vt muli ex equa & aſino diſsimili animalium ſpecie procreati, ita illæ è variarum nationum dialectis ſint compoſitæ. Spuriam dictionem rectè dixeris, ſeu notham.

Me. *Ne tu delinquas, neue ego iraſcar tibi.*

Feſtiuè dictum in hominem picatis manibus. Menęchmus, ego inquit, *argentum quando habebo, cauero, ne tu delinquas, neue ego iraſcar tibi*. Sentiat quis rem ſibi eſſe cum fure: aduigilet, quaſi oculos habeat in occipitio. Quærat ille, cur adeo caueat: reſpōdeat hic, *ne tu delinquas*, cui parui eſt, honeſtatis, & naturæ leges contemnere. Nam ſi per incuriam meam tibi furandi detur occaſio, eam tu improbus

non

non amittas, & proinde pecces, mihi itidē iraſcendi, hoc eſt, peccandi feneſtram aperias. Ita cuſtodia & vigilantia mea vtriq; noſtrū peccandi præripit occaſionem. In dictione tamen, *iraſcar*, maior ineſt ironia, quam in *delinquas*.

SCENA 3.

Meſſ. *Dixin' ego iſtæc hic ſolere fieri? folia nunc cadunt,*

Pęnt, ſi triduum hoc hic erimus, tum arbores in te cadent.

Allegoria eſt, qua Meſſenio ſignificat nihili eſſe blanditias Erotij, prę illis, quas ſit auditurus, ſi triduum ibi commoretur. Ego inter adagia referendum cenſeo, quo illos reprehendamus, quos leue damnum ita afficit, quaſi maximam fecerint iacturam: quibus tamen longè grauiora imminent. *Folia cecidiſſe dicamus, breui caſuras eſſe arbores*: per *folia*, damnum exiguum, per *arbores*, maximum ſignificantes.

Meſſ. *Oboluit marſupium huic.*

Commodè poterit adhiberi in eum, qui pręter conſuetudinem blanditur diuitiori: vel in meretricem delicias facientem adoleſcenti nummato. *Marſupium oboluit*, hoc eſt, ſenſit huic eſſe nummos, quibus facit delicias: nummorum cauſſa eum ad ſeſe allicit, vt argento emunctum inanem dimittat.

ACT.

ACT. 4. SCEN. 2.

Me. *Palla pallorem incutit*.

HOc ait Menæchmus nihil ſe timere, præter quam quod pallorem incutit palla vxori ſurrepta. Locus erit, cum quis admiſſi ſceleris, de quo quæritur, ſibi conſcius expalleſcit: tũ proferatur hoc Menæchmi: *palla pallorem incutit*, hoc eſt, conſcientia furti, vel alius ſceleris illi de facie diſpellit ruborem: palleſcit.

ACT. 5. SCE. 3.

Men. *Ait ſe obligaſſe crus fractum Aeſculapio, Apollini brachium*.

Feſtiuiſſimũ ſcõma non tàm medicis, quàm circumforaneis illis chirurgis conueniens iactabundis & arrogantibus: qui ſtolidis, ſi quos nacti ſunt, auditoribus, intoleranda artificij ſui oſtentatione ſeſe venditant: quaſi illos ſanauerint, quos ſanare, ſupra humanã erat conditionem. His occini poteſt: *Crus fractũ Aeſculapio*: vel, *Apollini brachium*, ſubaudi ſanauit.

SCEN.

SCEN. 5.

Men. *Meus Vlyſſes,ſuo qui regi tantũ conciuit mali.* Hoc dicto per ironiam ridere poterimus eum, cuius conſilio & ſuaſu periculum, vel damnum ſit nobis creatum. Ridere, inquam, modo res eo loco ſit, vt riſum ferat. Solent enim iactare illud Itali: *Nõ fà buon ridere à chi hà la teſta rotta.* Hoc ſentiunt,qui damnum fecit, incommodus illi riſus eſt & iniucundus, niſi fortè ſardonicus. De conſilio temerario, extat illud Phocionis,quem orationis ſuæ cultrum vel ſecurim appellare Demoſthenes ſolebat: quod is in dicendo grauis, breuis & acutus eſſet: extat, inquã apophthegma in oratores, qui audito nũcio de morte Alexandri, continuò bellum in Macedonas ſuſcipiendũ hortabantur. *Si hodie, inquit,mortuus eſt,& cras,& perẽdie mortuus erit.* Videbat quantũ periculiori turũ eſſet è bello, ſi fortè falſus,de morte Alexandri,rumor ſparſus eſſet. Redeo ad Vlyſſem.Suadeat quis vt facinus periculoſum aggrediar: idq;cõtra quam ſperaueram,ſuccedat:fortunę & caput veniant in diſcrimen: quærat quis, qua confidentia id auſus,quis ſuaſor:Ego mõſtrans autorẽ dicam, *hic meus Vlyſſes.* Sed ne erres lector,apud Home-

rum,

rũ,periculoſa licet,honeſta tamẽ & vtilia ſẽper ſuaſiſſe leges Vlyſſem. Quemadmodũ enim Ili. 14. fugam ſuadenti Agamemnoni refragatus, cum Diomede ſenſit, non ſine ſanguine partum iri victoriam,& glorioſam fore dixit. Iliad. autem x. Neſtor eũ vocat decus Achiuorum. Idem ſemetipſum oſtentans. Iliad. 19. his verbis alloquitur Achillem reconciliatum: haſta quidẽ me es longè fortior Achilles: at ego te prudentia ſupero, qui ætate maior ſum, & vſu rerum præſtantior. Quidquid autem ſcribant aut ſentiant alij de Vlyſſe, ego illius conſilia magis aſtuta & fraudulenta, quam ſapientia,& proba interpretanda ſemper duxi. Hinc cõiectet quis, quo pertineant hæc verba, *meus Vlyſſes*.

Med. *Non poteſt hęc res ellebori iugere obtinerier.* In hominem deploratæ inſanię, vel obfirmati animi pertinacisſimi, qui cum pręceps ruat in pericula, nullo conſilio, nullis admonitionibus abduci ab eo poteſt, quod inſtituit, quamuis coniuncta cum damno verſetur ob oculos turpitudo. Exemplo, ambiat quis ſtantem in fornice turpisſimam meretriculam: depereat inhoneſtam formam: conetur quis aliò vertere eius animum: irritus ſit conatus: Dicam ego, ne *ellebori quidem iugere res obtineri queat*. De elleboro, tum quid ſit iugerum, pasſim habes in lexicis.

MILES

Glorioſus.

ACT. 1. SC. 1.

ARTOTR.

Venter creat omnes has ærumnas, auribus Peraudienda ſunt, ne dentes dentiant. Adulator ærumnas auribus alijsq; ſẽſibus à vẽtre ſibi creari queritur. De adulatoribus Athenæus dipnoſoph. lib. 6. ſic ſcribit: Vnde Anaxilas ait, nonnulli adulatores veluti teniæ diuitibus adhærent: nam ſimplices mores adorti hiſq; inſidentes veſcuntur, donec veluti frumentum vacuum reliquerint. Græcis adulatur κόλαξ dicitur: id Euſtath. in Hom. Odyſſ. 13. à verbo κολλᾶσθαι deduci ait, ꝙ eſt glutinari, coaleſcere, hęreſcere. Ægrè enim à diuitiorum cõſuetudine diuelli ſe patiuntur, quorum in gratiam omnia faciunt, patiuntur, audiunt & dicunt. Ac ſi quid non probandum, reclamante conſcientia, cogente macelli barathro ventre probant. Hæc illa miſeria, & calamitas,

mitas, quam ſibi ventrem parere dicit Artotrogus, nomen vitæ rationibus congruens ſortitus. Nihil enim aliud ſonat, quam pane veſcens, panem conſumens.

ACT. 2. *SC*. 2

Pal. *Herus meus elephanti corio circumtectus eſt, non ſuo.*

Neque habet plus ſapientiæ, quàm lapis.

Qua ratione herũ ignorantię arguens elephãto conferat, non video: neq; Lambini in hunc locum ſatis mihi faciunt commentaria. Ariſtoteles in lib. 9. de nat. animal. ait elephantum sẽſu valere, & ingenij ſagacitate excellere. Vnum hoc ad rẽ facere videtur, ſi dicas herũ tam duro eſſe ingenio, vt corium elephanti nõ ſit durius. Ita corporis durities ad animum transferatur

S*C*EN. 3.

Sceled. *Mirum eſt lolio victitare te tam vili tritico.* Virgilius lolium frugibus inimicũ dicit: Plin. lib. xviji. nat. hiſt. Nam lolium, inquit, & tribulos, & carduos lappáſq; nõ magis, quàm rubos inter frugum morbos potius, quã inter ipſius terræ peſtes numerauerim. Prouerbiali qua ſi ænigmate *lolio victitare dicitur*, qui luſcioſus eſt, accæcutiẽs. Aiunt enim hoc peculiare quoddam eſſe lolij, vt oculis caliginem inducat. Ouid. faſt. lib. 1. teſtem laudant.

SCEN.

SCENA 6.

Sceled. *NVmquam hercle ex iſta naſſa ego hodie eſcam petam.*

Senſus eſt: Non committam, vt tanto periculo quæram vtilitatem. Allegoria à re piſcatoria. Naſſa piſcatorium inſtrumentum, in quod ingreſſus piſcis, egredi non poteſt. Vſus erit cum quis ſuadet, vt periculoſũ aliquod facinus aggrediamur, luculentum præmium inde relaturi. Reſpondeamus, *non ego petam eſcam ex iſta naſſa*: hoc eſt, non ego præmij cauſſa, tanto me diſcrimini committam.

ACT. 3. SCE. 1.

Pe. *In bono hoſpite atq; amico quæſtus eſt, quod ſumitur.*

Et quod in diuinis rebus ſumas, ſapienti lucro eſt.

Hi duo verſus planè ethici ſunt: prior ad hoſpitalitatem: poſterior ad pietatem & cultum pertinet diuinum. De hoſpitibus apud Plutarchũ in conuiuio, Periander ſic loquitur: Equidem laudo amici, ciuitates; earumq; rectores, qui hoſpitibus primum, deinde ciuibus vacant. Cic. lib. 2. off. rectè, inquit, etiam à Theophraſto eſt laudata hoſpitalitas: eſt enim, vt mihi videtur, valde decorum, patere domos hominum, illuſtriũ illuſtribus hoſpitibus: idq; etiam reipub. eſt ornamento, homines externos hoc libera-

liberalitatis genere in vrbe noſtra non egere. Eſt etiam vehementer vtile ijs, qui honeſtè poſſe multa volunt, per hoſpites apud externos populos valere opibus & gratia. Quòd verò in rebus diuinis abſumitur, ſapienti, inquit, eſt lucro: ſapienti rectè: Nam inſipiens, quem improbitas conſequitur, aliter ſentit. In hanc ſẽtentiã pulcherrimũ habent Germani dictum.

Vnrecht guet Hauſſet nicht.
kirchen gehen ſaumet nicht.
Almuſen geben armet nicht.

Quorum verborum ſenſus eſt: res malè partæ neminem ditant: templa frequentanti non perit tempus:

Eleemoſinis erogandis nemo redigitur ad paupertatem.

Pe. *Nã proletario ſermone nunc quidẽ hoſpes vtere:*
Nam ij ſolent, quando accubuere, vbi cæna appoſita eſt, dicere:

Quid opus fuit hoc, hoſpes, sũt u tanto noſtra gratia?
Inſaniuiſti hercle: nam idem hoc hominibus ſat erat decem.

Quod eorum cauſſa opſonatum eſt, culpant, & comedunt tamen.

Hinc loquaculi ſcioli diſcant mores in cõuiuijs ſeruandos: qui quaſi ipſi magiſtri ſint, iubent auferre, apponere: Vxorem hoſpitis accumbere volunt: ſeruis ſportulam porrigunt: asſidere iusſi recuſant, quem dominus ipſis decreuit

 locũ.

locum. Hos vnico dicto caſtigare poterit herus: ſi dicat eos *ſermone vti proletario*. Quid ſit proletarius, notum eſt.

Pe. *Sed percellunt ſe, & procumbunt, dimidiati dum appetunt.*

Lambinus ſic interpretatur: Dimidiati dum appetunt, id eſt, dum corpore inclinato atq; inflexo cibos appetunt. Dimidiatos eos dixit, qui corpore ita procumbunt, ac propendent in rem aliquam, vt non integri, aut toti, ſed dimidiati videantur. Hæc Lambin. Hinc collige in quem vſum verti poſsit.

MERCATOR

ACT. I. SCEN. I.

ACANTH.

P*Alpo percutis*. Pro, aſſentando & blandiēdo me captas. Ductū à cōſuetudine illorum, qui vel canes, vel equos, vel alia animalia molli manu demulcent, ac leniunt, ne vel dentibus vel calcibus lædant.

Acanth. *Dormientes ſpectatores metuis, ne è ſomno excites.*

Con-

Conuehiet in illos, qui ſubmiſſa voce enunciãt animi ſenſa. Quod ego in uitio ſemper duxi ponendum. Si enim intelligi nolunt, tacendo id facilius impetrabunt: ſin naturale eſt, aſſuefactione corrigant naturæ vitia.

ACT. 2. SCE. 2.

Demiph. *Lyſimache ternas ſcio iam.*

Feſtiuiſſimo ſcommate ſenes libidinoſos inſectari poterimus hoc modo: ſit quiſpiam cano capite, pruritum Veneris qui ſentiat, ac more adoleſcentum puellas ambiat. De quo prouerbium eſt, *abijt & taurus in ſiluam.* Eum *ternas iam ſcire* dicamus. Ternas autem intellige litteras. AMO, Vel, quod idem Demipho ait:

Hodie ire in ludum occœpi litterarium.

Vſus ſit huiuſmodi: ſenex iſte cœpit ire in ludum litterarium: quaſi dicat, bis puer, animo puerili puellas cœpit conſectari. Eundem etiã cum Lyſimacho dicere poterimus, *amatorem pictum*: quòd non multò magis in palæſtra Cupidinis præſtare poſſit, quam picta imago.

ACT. 3. SCEN. 4.

Char. *NI oculos lacrymę defendant, iam ardeat, credo, caput.*

Quadrabit in pueros, vel mulieres, quæ nulla alia ratione vlciſci iniuriam cum poſſunt, ad lacrymas confugiunt. Senſus eſt, niſi ardorem

reſtinguant lacrymę totum caput ardeat ira.
Germanifeſtiuè rident lacrymãtes hoc modo: *Las ihn weinen er bedarf nicht viel brunzen.* Hoc eſt, permitte illi, vt fleat, eò minus vrinæ ipſi mittendum erit. Sentiunt, vel cum lotio, vel cũ lacrymis erumpat bilis neceſſe eſt.

Char. *Non abijt ſalus.*

Vbi ſpei aliquid reliquum eſt, dicemus *ſalutem non abijſſe è medio.* Ita Charinus, *ſin ſodalis,* inquit, *quod promiſit, fecit, non abijt ſalus.* Senſus eſt, ſi Euthychus ſodalis meus promisſis ſteterit, rectè omnia. Is enim pollicitus erat, effecturum, vt amica potiretur Charinus.

Char. *Sed tãdẽ ſi podagroſis pedibus eſſet Euthych⁹. Iam à portu redijſſe potuit.*

Vſurpari poterit in nuncium tardè redeuntem: vt podagroſos habere pedes dicatur. Abeo, quòd podagrici gradum proferre non poſſunt.

Char. *Triſtis incedit, pectus ardet, hæreo: quaſſat caput.*

Sitne irati, minantiſq; an mœſti animi indiciũ, ſi quis caput quaſſet, non facilè dijudices. Sed vtriuſq; argumentum eſſe patet, tum ex hoc, tum ex alijs locis apud Plautũ. Hoc loco certè vtrumq; complexus eſt.

Triſtis incedit: pectus ardet. Niſi quis fortè pect⁹ intelligat Charini, cum ſequatur, *hęreo.*

Ch. *Demiſiſti gladium in iugulum.*

Commodè inter adagia referri poterit; cuius:

duplex

duplex ſit ſenſus. Alter de ingrato nuncio, quo animus perculſus horreſcat. Alter de eo, qui in diſputatione argumentis irretitus ſe tueri nequeat. Inde ductū, quòd gladius in iugulum immiſſus ſpiritum adimit vitalem.

Char. *Deos abſentes teſtes memoras?*

Bellisſimum & hoc in hominem improbum, aleatorem, ganeonem, qui ætatē in luſtris agit. Huic ſi fortè minus ſecundum vota cadant talorum iactus, vel ſi minus feliciter ſcortatus diuorum ſibi petat auxilium, quaſi animi candidi teſtes ſint, reſponderi poterit, *Deos abſentes memoras teſtes?* Scilicet, quòd infēſus ſit Deus impiam, ac ſcelerosam vitam agentibus. Vel etiā in furem & latronem, qui Deum laudat innocentiæ ſuæ teſtem.

ACT. 4. SCE. 1.

Syr. N*Equeo maccaſtor, tantum hoc oneris eſt, quod fero.*

Do. *Quid oneris? Sy. annos octoginta & quattuor. Et eodem accedit ſeruitus, ſudor, ſitis.*

Ilias malorum, cum ſeruituite coniuncta, ſenectus. Feſtiuitas in eo eſt: quòd vetula negat ſe poſſe pasſibus ire diductis, propter onus: rogata quodnā ſit onus illud, reſpondit annos quattuor & octogīta. Cicero in Catone maiore: quæ pleriſq; ſenibus ſic odioſa eſt, vt onus ſe Ætna grauius dicant ſuſtinere. Eos intelligit, quibus

nihil eſt in ipſis opis, ad bene beateq; viuẽdũ: quibus omnis ætas eſt grauis. Talis hæc eſt anus Syra.

SCEN. 4.

Coq. *Nam qui amat, quod amat, ſi id habet, id habet pro cibo.*
In amantium ſtultitiam: qui nihil ſibi deeſſe, nec vmquam quid defuturum exiſtimant, modò amicę conſuetudine detur potiri. Vel generalius in quemcumq; etiam honeſtiſſimũ amorem. Talis eſt Eumei, apud Ho. Odyſſ. xvi. qui vaſis abiectis, Telemachum amplectitur exoſculans, oblitus vini & aliorum ad conuiuia pertinentium.
Co. *Satis ſcitum filum mulieris.*
Per filum intellige oris & faciei lineamenta Eſt autem ironia in ſenem, qui meretricem deformem amat.
Itali. *Che bello moſtaccio è queſto.*
Per contemtum laudat: quo autem animo diſcitur ex pronunciatione: cum vel cilia contrahunt, vel naſum criſpant.

ACT. 5. SCEN. 2.

Eu. *Cape modò verſoriam.*
Hic fauonius ſerenus eſt, iſtic auſter imbricus. Hic faciet tranquillitatem: iſte omnes fluctus conciet. Nubes ater imberq; inſtat.
Adhi-

Adhiberi poterunt hæc Euthychi verba, cum dehortari quempiam volumus ab eo, quod temerè & cum diſcrimine inſtituit. Allegoria vbiq; à re nautica. *Cape verſoriam:* hoc eſt, proram auerte ab eo curſu, quem inſtituiſti: mutato ſententiam in melius. *Nubes ater, imberq; inſtat:* Id eſt conſilium tuum te præcipitem aget in pericula, quæ imminent, niſi caues.

Ch. *Zonam ſuſtuli.*

Figura prouerbiali poterit adhiberi, quemadmodum illud: *Zonam perdidit.* Conueniet, vbi ſignificare volemus, nos viatico inſtructos, & ad iter paratos. Ductum à militibus, qui peculiū in zona concluſum ferebant. Zonam autē perdidiſſe dicitur, qui bonis omnibus ſpoliatus eſt. Indidem ductum: quod milites omnem pecuniā in cingulo habebant: quo amiſſo, ſpes omnis abierat. Poterit etiam habere hunc ſenſum: *Suſtuli zonam:* Id eſt, quidquid habuit, illi ſurripui: iam nihil reliquum eſt, quo ſe tueri posſit]. Vel, ſi cui videatur, vt malit referri ad ceſtum Veneris. *Zona* illi dicetur eſſe *ſublata*, cui pudor eſt corruptus.

Ch. *Tollo] ampullam, atq; hinc eo.*

Ampullam tollere hoc loco idem eſt, cum eo Italorum. *Io me ne ricoglio i ſagotti, le ſtraccie per andare con Dio.* Quod Terentio eſt, conuaſare. Ampulli, vas olearium, quod ſecum portare ſolebant, qui peregrè proficiſcebantur, ſic Lamb.

Quod ſequitur, *iã lora in manus cepi meas*, eiuſd. eſt ſenſus.

SCE. VLT.

Eut.

ET *per nos quidem hercle egebit, qui ſuum prodegerit.*

Hic Comes Facundus cum Italorum vulgo claudet ſuas facetias. *Chi non hà ſuo danno. Hà mangiata la candela, padiſca il ſtoppino. Dopò la feſta fà la vigilia il bettolatore, c'hà conſumato il ſuo.* Germ. *haſt du es vernorffen, hab gedult.* Hoc eſt, prodegiſti? vt voce vtar Plautina, æquo animo feras. Atq; hic omnes conclamant: per nos licet, ſtrenuè eſuriat, qui bona ſua temerè profudit. Amicorum hęc ferè eſt conſolatio: has ferunt ſuppetias.

FINIS.

A01 1467682

Digitized by Google